DE ARTE

CALLIMACHI POETÆ

LEMOVICI. — E TYPIS FRATRUM CHAPOULAUD.

DE ARTE

CALLIMACHI POETÆ

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

EUG. THIONVILLE

Scholæ Normalis olim Alumnus

> Battiades semper toto cantabitur orbe :
> Quamvis ingenio non valet, *arte* valet
>
> (Ovid. *Amor.*, I, 15.)




PARISIIS

APUD AUGUSTUM DURAND, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DES GRÈS, 7

M DCCC LV


ARD COLLEGE
AUG 1922
LIBRARY

DILECTISSIMO MAGISTRO

ALEX. LABROUSTE

RECTORI SANCTÆ BARBARÆ GYMNASII

OFFERO HANC THESIM

DISCIPULUS REVERENTISSIMUS GRATISSIMUS

DE ARTE

CALLIMACHI POETÆ.



INTRODUCTIO.

E veteribus scriptoribus qui de Callimacho locuti sunt, nullus est fere qui *artem* ejus non laudaverit. Dum in ceteris poetis diversas ingenii dotes, sublimitatem, eloquentiam, vim commovendorum affectuum mirantur, in Callimacho condendi versus artificium semper prædicant. Apud Romanos præsertim, quicumque opus elegiæ tentaverunt, genus imprimis a Cyrenæo vate illustratum, eum stili peritissimum magistrum cecinerunt.

Catullus primo, eximius ille versuum opifex, tam delicati penicilli pictor, omniumque venustatum dicendi amantissimus, eas quibus ipse eminebat dotes in Callimacho celebrabat, atque, ut similior illi fieret, unum ex carminibus ejus maxime laudatum, *Comam Berenices*, in Latinum vertebat.

Propertius quoque numeros ejusdem castigatos ad unguem constanter æmulabatur, *Romanusque Callimachus* vocari cupiebat :

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi (1).

Huic accessit sententiæ Ovidius, qui, quamvis ingenium Callimacho neget, ei artem præstantissimam tribuit, atque illa una dote immortalem fore vaticinatur :

Battiades semper toto cantabitur orbe :
Quamvis ingenio non valet, arte valet (2).

Nusquam autem de ullo alio scriptore simile judicium invenimus. Nemo enim, quemadmodum Callimachi, sic et Homeri aut Sophoclis artem memorat; ne ceteris quidem Alexandrinis poetis ea laus conceditur, qua tamen non fortasse indigni sunt : nam Apollonius Aratusque et omnes auctores hujus ætatis non valde Callimachi dissimiles esse videntur. Attamen soli Callimacho tanquam propria virtus et peculiaris fuisse fertur illa in versificando industria.

Equidem aggredior in hac scriptiuncula causam tam universi consensus quærere, veterumque opinionem ipsius viri scripta trutinando confirmare.

Ea autem quæstione plures continentur. Ostendemus primo Callimachum principem fuisse cujusdam poetarum chori novam artem quæritantis, in qua ipse invenienda et in lucem proferenda ceteris omnibus fama præstitit.

(1) Propert., IV, 1.
(2) Ovid. *Amor.*, I, 15.

Deinde quæ sit ars illa scrutabimur.

Postremo quænam ejus fortuna apud Græcos fuerit docebimus, quaque ratione Latini scriptores, Græcorum discipuli et tanquam heredes facti, eam sibi imitandam receperint.



CAPUT I.

QUÆNAM POETARUM SEGES IN ALEXANDRINO MUSEO EFFLORUERIT.

De Musei origine.

Museum appellaverunt antiqui ædem quamdam aut sacrarium Musis dedicatum; quam significationem indicat ipsum nomen e Græco μοῦσα originem ducens. Alexandrinum autem Museum, etsi celeberrimum, non tamen antiquissimum fuit : habuerant Musæ et in aliis urbibus apud pios hospites sua domicilia. Plato primus prope ab hortis Academi Museum quoddam, ut vocat illud Diogenes Laertius, fundaverat, ubi deinde Speusippus, ejus in docenda philosophia successor, statuas Gratiarum posuit (1), quæ Musarum sorores non immerito habitæ sunt. Neque id tantum fuisse parvulum sacrarium videtur; sed satis vastus

(1) Diog. Laert., *Vita Speusip.*, lib. IV, c. I, § 1.

erat ager, domum hortumque circuitu suo complectens, quem Plato ipse tribus millibus drachmarum emerat (1). Postea vero Academici, deserto publico gymnasio in quo princeps eorum doctrinæ philosophabatur, privatam illam sedem scholis suis instituendis elegerunt.

Non ita longo post Platonem mortuum tempore, Theophrastus aliud Museum, sed majus et magnificentius, construxerat. Ille enim, exulante apud Chalcidenses Aristotele, princeps peripateticorum factus, Lyceum brevi exosus, propriis nummis amplissimum fundum comparavit; in quo acquirendo adjutus est et consiliis et pecunia Demetrii illius Phalerei, qui tum dominabatur Athenis, et studiosissime litteras atque artes protegebat (2). Constat per testamentum illius philosophi multa in hoc agro et vasta exstitisse ædificia : inter quæ præcipua erant sacellum Musei nomine designatum, ubi ara doctarumque sororum statuæ et simulacrum Aristotelis una continebantur; deinde duæ porticus, quarum circa parietes aut columnas erant sphæræ, terrarum pictæ descriptiones, aliaque scientiarum instrumenta; denique hortus ad ambulationem dispositus, ac domus horto contigua (3). Præceperat Theophrastus moriens ut omnia illa opera, quæ ipse exsequi non potuerat, perficerentur; suosque discipulos heredes scribebat et hortorum et domus, si qui vellent ibi una vivere et

(1) Plutarchus, *de Exilio*, 10.
(2) Diog. Laert., *Vita Theophrasti*, lib. V, c. II, § 39.
(3) Id., *Ibid.*, § 52.

philosophari, ea tamen conditione, ut legatum indivisum nec abalienandum possiderent, sed tanquam scholæ totius rem familiarem futurum.

Equidem arbitror Ptolemæum Soterem præsertim exemplo Platonis et Theophrasti ad consilium ædificandi Musei Alexandrini adductum esse. Liquet enim hodie, post multas doctissimorum virorum investigationes, non Philadelphum, sed patrem ejus esse hujus monumenti fundatorem. Is autem princeps habebat inter ministros et incipientis imperii subsidia eumdem eum Demetrium, quem diximus socium Theophrasti fuisse in ædificando Museo Atheniensi, quique paucis post annis, ex Attica pulsus, apud Ægypti reges perfugium quæsiverat. Celebrem exulem Soter omnium consiliorum participem fecit : quin et eum, sicut refert Ælianus, tuendis creandisque legibus præfecit (1); videlicet ut vir ille, in rebus publicis æque et in philosophia versatus, ex omnium civitatum institutis ea eligeret, quæ istius novæ Ægypti populo, ex diversissimis gentibus mixto et conflato, maxime congruerent. Cum autem primus Ptolemæus in regiam urbem litteratos homines et philosophos arcessere vellet, atque apud se stabili hospitio detinere, quis dubitare potest quin propositum tam grave cum Demetrio sedulo pensitaverit, ille vero faciendum suaserit quod jam Athenis factum viderat?

Conjicere licet ex Plutarchi verbis Demetrium auctorem fuisse creandæ Bibliothecæ. Narrat enim histo-

(1) Συνὼν τῷ Πτολεμαίῳ (Δημήτριος) νομοθεσίας ἦρξε. (Ælian., III, 17.)

ricus eum regi consilium aperuisse libros colligendi, ut artem regnandi disceret; nam in libris multa inventurum aiebat quæ amici nunquam ipsi dicere auderent (1). Ejusdem Demetrii ad formandam Bibliothecam curæ mentionem facit Ritschelii Plautinum scholion : « Rex ille (Ptolemæus Philadelphus) ubique terrarum quantum valuit voluminibus, opera Demetrii Phalerei prehensa secum, duas bibliothecas fecit, alteram extra regiam, alteram in regia (2) ». Quod quidem testimonium non est certe contemnendum, quamvis auctor scholii manifesto errore Phalereum oratorem Philadelphi, non autem Soteris, in illa colligendorum voluminum opera adjutorem fuisse affirmet. Namque secundi Ptolemæi in litteras merita adeo magna visa erant, ut posterorum scriptorum gratus animus nonnunquam quod ab ipso, quodve a patre factum male secernerent. Attamen eas quoque partes in fovendis studiis egerat Demetrius, ut nomen ejus silentio prætermitti non posset. Quod si vero ille creandæ Bibliothecæ, idem certe et instituendi Musei suasor esse debuit : Museum enim una cum ipsa Bibliotheca esse conceptum et natum videtur, quippe quod ad eumdem finem spectaverit.

Doctissimus ætatis nostræ scriptor, *Matter*, contendit non tantum amore artium et litterarum, sed etiam politico consilio impulsum esse Ptolemæum Soterem, cum Museum constituit (3). Regnum enim auspicatus

(1) Plut., *Apophth. regum et imperat.*, p. 48., Lips.
(2) Ritschl, *Die Alexandrinischen Bibliotheken*, p. 3.
(3) Matter, *Hist. de l'école d'Alexandrie*, 2e éd., t. I, p. 71.

suæ familiæ primus, in ea regione quæ populos omnis generis continebat, Græcos, Ægyptios, Judæos, inter se tum legibus, tum moribus et religione differentes, voluit, ut aiunt, tot diversarum gentium indoles atque ingenia permiscere et quasi in unum conflare; quam quidem temperationem efficere posse putabat doctorum hominum congregationem quamdam formando, quæ medium teneret inter sacerdotum Ægyptiorum collegia et scholas Græcorum philosophicas. Utile enim imprimis et sibi et successoribus fore, si ipse, adjuvante Musei disciplina, imperium exerceret in mores simul et in artes novi populi, atque animos hominum novo quodam instrumento regni gubernaret, non secus ac vi et armis voluntates oppresserat.

Isti equidem opinioni omnino assentiri non possum; nam facta eam non confirmant. Museum enim nullo unquam ad publicas res administrandas auxilio fuit; neque ejus opera Ægyptii Græcique in unius populi corpus coaluerunt, aut religiones ac mores eorum sunt ad eamdem formam redacti. Græcum enim omnino Museum mansit, Græcosque tantum habuit incolas. Lagidæ autem Ægyptios in potestate sua talibus institutionibus retinere tentavisse nullo modo videntur. Sed si quis attentius investigare velit cur instituerit Museum Soter, agnoscet eum scholarum Atticarum famam obscurare voluisse, atque ad se quidquid splendoris ex litteris emanare posset convertere. Quam opinionem attigisse reperio, in scriptiuncula de Aristarcho, unum ex professoribus Parisiacæ Facultatis, cujus nomen

Græcis Musis pergratum est (1). Etenim post Alexandrum Macedones subito studio ad artes inclinaverant. Alexander ipse gloriæ invidebat Athenarum, et commendationem poetarum carminibus quæsitam magnopere appetebat. Soter autem unus omnium Alexandri legatorum maxime Musis delectabatur, historiarum et ipse scriptor non omnino a veteribus contemptarum. Cum igitur ex Macedonica illa hereditate partem prædæ habuisset regionem barbaram, non barbarus ipse fieri voluit, sed contra Græcæ humanitatis in luce versari, atque etiam, si posset, in domum suam aliquid ex eo flumine sapientiæ derivare, quod in urbem Minervæ tam diu redundaverat. Idem consilium et Attalorum familia paulo post iniit, cum semibarbaro Pergami regno potita est. Athenæ suam ad gerendas publicas res potestatem amiserant; victores Macedones eas suo quoque in litteras imperio spoliare voluerunt; ideoque Soter Athenienses præsertim scriptores in aulam suam allicere tentavit, et eorum maxime præclaros, Menandrum et Theophrastum. Alexandriam novas Athenas, omnium eruditorum patriam communem facere meditabatur; affectabat non modo rerum, sed litterarum Græcarum quamdam dominationem.

Quæ fuerit in Museo ratio vivendi.

Ceterum Alexandrinum Museum multo majori cura et impensis fundatum est quam priores ejusmodi

(1) M. Egger, *Revue des Deux-Mondes*, 1er févr. 1846.

scholæ. Cujus celebritas adeo pernotuit, et ceterorum institutorum famam supergressa est, ut exstitisse ea vix docti hodie sciant. Ferunt antiqui scriptores, inter quos præcipuus Strabo (1), Museum Ptolemæorum fuisse magnum ædificium prope a domicilio regum nec longe à littore situm : forsan et ipsius regiæ pars videri potuit. Intus dispositæ erant ædes, ubi docti homines vulgo habitabant, et omnibus rebus ad victum necessariis publice instruebantur. Habebant enim ad deambulandum spatia, et porticum sedilibus ornatam, in qua de omnibus quæstionibus inter se disputarent ; in vasto cœnaculo cibum una sumebant ex ærario paratum. Præter pecuniam in has communes impensas erogatam, privatus etiam sumptus cuique ad proprios usus decernebatur (2); adeo illud hospitium liberale et magnificum, ac vere regale fuit! Litterati autem qui in Museo vivebant ex omni parte terrarum congregabantur : ideoque Philostratus rhetor illam domum non immerito vocavit *mensam Ægyptiam viros illustres ex toto orbe ad se vocantem* (3). Attamen orbis de quo ille loquitur Græcus orbis est, non barbarus : nemo enim externarum gentium, ne Ægyptius quidem, in Museum admittebatur.

Huic eruditorum societati præerat sacerdos, ut narrat Strabo, primum a Ptolemæis, deinde ab imperatoribus Romanis dux et tanquam Musei magister

(1) Strab., *Geogr.*, XVII, 1.

(2) Vid. Athenæum, lib. XI, sect. 85.

(3) Τράπεζα Αἰγυπτία συγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους. (Philostr., *Vita Dionysii*.)

electus (1). Quisnam fuerit sacerdos ille, quid ejus ministerium, quæ auctoritas, diu latuit. Sed recentiorùm scriptorum disquisitiones rem feliciter explanaverunt, ita ut cuivis ad investigandum quomodo constitutum Museum fuerit sese accingenti subitum lumen præferretur. Lagidæ enim, auctore, ut videtur, hujus instituti Sotere, summum pontificem toti Ægypto præfecerunt, qui omnia quæ ad religionem pertinerent tractaret. Ille autem, novi cujusdam cultus minister, de vetustis Ægypti moribus assumpti, vocatur in inscriptionibus sacerdos Alexandri, Deorumque Soterum, Deorum Philadelphorum, Deorumque Ptolemæorum omnium, etiam viventium (2). Nam Lagidæ non modo inter cœlites post mortem, sicuti postea Romani Cæsares, adscribebantur, sed etiam regnantes θεοί, more Pharaonum, audiebant. Idem sacerdos a consiliis principis erat, atque inter primi ordinis proceres habebatur : quippe in monumentis nominatur *epistolographus* et *propinquus regis* (συγγενής); quem titulum iis non solum qui re vera cognati, sed etiam qui cognatorum fide digni erant, concessum fuisse ostendit Franzius (3). Constare autem videtur hunc epistolographum, sacerdotem Alexandri et Ptolemæorum, eumdem esse quem Strabo Museo præpositum dicit. Etenim in Græco titulo, Adriani imperatoris temporibus scripto, mentio est de L. Julio Vestino, principis antea pædagogo, qui vocatur *summus Alexandriæ totiusque Ægypti pon-*

(1) Strab., *loc. cit.*
(2) Franz, *Corpus inscript. Græcarum*, t. III, p. 286.
(3) Id., *ibid.*, p. 290.

tifex, simulque *Museo præfuisse* fertur (1). Quamvis nullum testimonium e Ptolemaicis sæculis tam manifestum supersit, tamen nemini dubium esse potest quin ille totius Ægypti pontifex summus in locum prisci Ptolemæorum sacerdotis, qui rerum sacrarum omnium et ipse fuit caput, successerit. Scimus enim Romanos in administranda Ægypto nihil novi intulisse, atque a mutandis veteribus institutis prudenter abstinuisse.

Ex his quæ diximus concludere licet Museum ita esse constitutum, ut regimen ejus penes principem aut ministrum principis maneret. Sub tali duce, litterati non ea libertate loquendi ac sentiendi fruebantur quam Athenæ in scholis suis toleraverant. Regum enim hospites facti, eorum opinioni morigerari debebant, atque ad eorum arbitrium sententias suas accommodare. Hujus conditionis incommoda inter primos sensit Timon Phliasius, sillorum scriptor, qui, visa et paulisper frequentata Philadelphi aula, Ægypto valedixit, malignissimum epigramma in Alexandrinum convictum intorquens, in qua Museum appellat *caveam Musarum*, ubi docti homines tanquam pretiosa volatilia asservarentur :

Multos Ægyptus populoso in littore nutrit,
Gentem scribarum, pugnas sine fine cientem,
Musarum inclusam cavea (2).

(1) Ἀρχιερεὺς Ἀλεξανδρείας καὶ Αἰγύπτου πάσης, ἐπιστατὴς τοῦ Μουσείου. (Letronne, *Inscript. de l'Egypte*, t. I, p. 279.)

(2) Πολλοὶ μὲν βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλῳ
Βιβλιακοὶ χαρακεῖται, ἀπείριτα δηριόωντες
Μουσέων ἐν ταλάρῳ. (Athen., l. I, sect. 41.)

Liquet enim Ptolemæos semper in potestate sua litteratos habuisse ; ita ut quosdam abire cupientes vi retinuerint, ut refert Suidas de Aristonymo (1), alios autem exulare jusserint, præsertim famosum illum Zoïlum, qui de Homero parum reverenter loquebatur. Quomodo autem in doctum gregem quisque admitteretur, in ambiguo est. Nam veteres de hoc more certos facere posteros supersederunt; et recentiores, conjecturis tantum augurati quid credi posset, quæstionem in diversum disceptaverunt. Alii enim putant quoddam exstitisse ipsorum eruditorum arbitrium; alii autem contendunt Musei incolas a regibus esse omnino selectos. Qui mihi quidem propiores vero videntur. Eam enim litteratorum conditionem in Museo demonstravimus, ut facile appareat, si non totam, at saltem maximam partem fuisse regibus in supplendo docto collegio relictam.

De studiis in Museo; de poesi Alexandrina.

Platonis Theophrastique Musea philosophis constituta erant. Sed in Alexandrino Museo philosophiæ vix locus esse videbatur; philosophia enim libertatem desiderat. Paucos igitur philosophos invenimus qui hospitio regum diu frui voluerint. Nonnulli in Ægyptum venere, qui paulo post abierunt : celeberrimus eorum advenarum, peripateticus Strato, quamvis

(1) Suidas, *in vita Aristonymi* : quem nonnulli volunt Aristophanem Byzantium esse. (Ritschl, *Die Alex. Biblioth.*, p. 75.)

Philadelphi magister, Athenas ante hujus discipuli sui principatum reversus est, ubi Theophrasti successor fuit.

Quemadmodum philosophia, sic et rhetorica tutelam Ptolemæorum repudiavit. Sed viguere in Museo omnia studiorum genera quæ patrocinium facilius patiuntur. Missos facio mathematicos, physicos, medicos. Verum, ut de solis litteris loquar, maximo ardore colebatur grammatica, ars nova prorsus et multiplex, quæ in veteribus poetis annotandis et judicandis, in disquirendis iis quæcumque ad rationem dicendi scribendique spectant, versatur. Tractabatur quoque historia, ac præcipue pars ejus quæ populorum origines investigandas sibi proponit. Denique poetarum ipsorum proventus crescebat uberior, ex quibus nonnulli clarissimum nomen habuere. Eam præcipue famam, Ptolemæo Philadelpho regnante, poesis Alexandrina assecuta est. Ille enim princeps, Philetæ vatis discipulus, vates in summo honore habebat, atque eis favebat imprimis. Poeticos instituerat ludos, victoresque præmiis remunerabat. In theatris agebantur multæ fabulæ, sive a veteribus, sive ab auctoribus tragicæ pleiadis compositæ; carmina Homeri publice recitabantur; denique ad excitanda ingenia refovendamque poetarum venam omnis opera impendebatur.

Quænam autem fuit istius Alexandrinæ poeseos virtus? quis color? — Si quis eam cum præcedentium ætatum poesi conferat, multo inferiorem sine dubio judicabit. Nec enim idem splendor, nec eadem inveniendi vis in ea reperitur. Multi Alexandrinos vates

in pejus delapsos crediderunt, quod tum Græcia publicam libertatem amiserat. Græci enim, ut aiunt, libertatis studiosissimi, eam quasi nutricem ingeniorum habuere; qua amissa, omnes vires mentis amiserunt. Ego hanc opinionem non omnino veram arbitror. Fateor enim eloquentiam libertate ali; sed poetice eodem auxilio non eget. Imo, in omnibus temporibus, plerosque poetas videmus clientelam regum et potentium captantes. Nonnulli etiam e Græcis ipsis tyrannorum amicitiam libertati patriæ prætulerunt : apud Hieronem confugerunt Pindarus et Æschylus; apud Archelaum Euripides. Meo autem judicio, degeneraverunt Alexandrini vates, quod jam nullæ poematum formæ erant quæ antea non tractatæ, nullus poeticus fons qui non exhaustus esset. Epica enim carmina primum composita, mox lyrica, deinde tragica comicaque in lucem prodierunt. Post Menandrum æqualesque ejus nihil intentatum supererat : poetæ vel priora imitari debebant, vel, si quid novum vellent quærere, ad modestiora operum genera descendere cogebantur; ideoque nullo modo sublimitatem veterum assequi poterant. Itaque, non solum Alexandriæ, sed etiam in universa Græcia poetice in pejus vergebat; Athenæ ipsæ, etiam si antiquam eam libertatem recuperassent, declinantium litterarum ruinas resarcire nequivissent.

Fatendum tamen ad fovenda mathematica aptius fuisse Museum quam ad alenda ingenia poetarum. Principum enim commercium regiaque magnificentia poetæ non displicent; quippe ibi semper paratas aures invenit, movetque plausus, ac ventoso isto

gloriæ curru facile evehitur. Sed eidem nullo modo placere possunt vita ad certam normam disposita, victus communitas, æmulorum vicinia, postremo iræ et invidiæ quæ inde oriri solent. Delectatur potius solitudine atque otio, dum sua carmina secum revolvit

Circa nemus uvidique
Tiburis ripas;

cuncta agit sine lege, mutabili quodam animi impetu pulsus. Quid autem his moribus magis contrarium quam illa in Museo vita semper sibi consonans, ubi omnes una habitabant, una comedebant, ubi quaque hora, ut ita dicam, assignabatur quid faciendum esset? Ejusmodi vitæ disciplina iis qui scientias aut philosophiam exercent potest conducere : scientia enim aliquando societatem laborum requirit, et nonnullæ quæstiones disputando facilius enucleantur; neque mirum si Athenarum Musea a philosophis fundata fuerunt. Sed plerique poetæ a tali instituto semper abhorrebunt.

Exstitere, inter præstantissimos hujus temporis poetas, qui Musei convivis adscribi noluerunt, quamvis sollicitarentur. Menander, a Sotere largissimis præmiis invitatus ut Alexandriam veniret, suas Athenas constanter anteposuit. Paucis post annis Theócritus in aulam Philadelphi se contulit, ubi magnifice exceptus est; hujusque generosissimi protectoris laudes atque erga poetas beneficia in Idylliis suis effuse cecinit; quo quidem testimonio nihil est principi honorificentius. Idem tamen ille

tam grati animi vates hospitium in Museo oblatum non accepit. Reverti in Siciliam maluit atque in illos amœnissimos agros, intra quos libere errare gaudebat, quosque lepidissimis versibus depinxit. Amicitiam regis non aspernabatur; imo eam libenter exquisivisset; quippe apud Hieronem Syracusarum tyrannum commoratus est, qui nec generosior nec litterarum amantior habebatur. Sed Musei ad disciplinam flectere ingenium non potuisset. Eodem tempore Aratus, Phænomenorum auctor, quanquam studiis et scribendi genere Alexandrinæ indoli propior erat, in aulam Philadelphi receptus atque honoribus et beneficiis auctus, Museum tamen dedignatus est, et Macedoniam repetiit, ubi ipsi rex Antigonus non tam splendidum certe hospitium oblaturus erat quam quod in Museo invenisset.

Conditiones igitur infaustas in Museo nacta, Alexandrina poesis vitia habuit quæ ex tali rerum statu exspectanda erant. Primum enim Ptolemaici vates non solum vates fuere, sed diversis occupationibus distracti sunt. Præcipuus litteratorum labor erat grammaticæ studium : veterum libros commentariis illustrabant aut correctionibus emendabant; verba unde ducta essent exquirebant; mores superstitionesque a majoribus traditos interpretabantur. Cum enim una degerent, de his omnibus quotidie inter se disputabant; communis vitæ ratio reconditam illam eruditionem fovebat. Itaque nullus ex poetis hujus ætatis nomen habuit, qui non et grammaticus simul aut historicus præclarus haberetur. Omnes varia et copiosa doctrina nobiles fuere,

quæ ingenium non tam aluit quam interdum obruit; nam ea studia intempestive ostentare in carminibus voluerunt : grammaticam Musis tanquam decimam sororem adjunxere.

Iidem quoque inveniendi facultate plerumque caruerunt, eo contenti, si priorum ætatum poetas feliciter imitarentur. Consuetudo enim aliorum carmina commentandi ad easdem materias tractandas impellebat. Ad hoc accedebat, sicuti antea diximus, quod omnia poematum genera jampridem reperta erant. Namque id solum novum invenimus, quod Theocritus illustravit, Museo ipse alienus. Si qui vero alii argumenta intacta quæsisse videntur, ea ex subtilibus doctrinis aut etiam e mathematicorum provincia petiere.

Verum enimvero, ut vitiis multis obnoxii, ita non sine virtute Musei poetæ fuerunt. Inest enim iis primo genus dicendi exquisite ornatum, castigati numeri, oratio tersa, nitida, elegans, ita ut stili magistros vix inter Græcos meliores reperias. Deinde magnum et difficile opus aggressi sunt, quod quidem hercle, etsi non omnino perfecere, saltem tentavisse laudabile esse mihi videtur. Etenim, ad hoc tempus poetica Græca (de epico præsertim et elegiaco genere loquor, quæ tractavit noster Callimachus) nullas leges certas definitasque habuerat. Excellentium virorum exempla præceptorum vim præstabant. Alioqui nusquam eadem linguæ forma, nusquam idem judicium; non ad communem normam, sed fere ad proprium arbitrium poetæ canebant. Homines autem Ptolemaicæ ætatis mihi

videntur imprimis certiores condendis versibus regulas constituere voluisse, atque ex præcedentibus auctoribus secernere quinam imitandi, quinam fugiendi, quidve in iis emendatum, quid mendosum esset, ut deinceps poetica Græca nullius privatæ voluntati serviret, sed consensum doctorum tanquam jus acciperet.

His inceptis mirum in modum favebant tot grammaticæ disquisitiones in quibus versabantur Alexandrini, atque illa ipsa vitæ studiorumque communitas qua in Museo fruebantur. Ea autem sunt præcipua illorum merita; iis laboribus bene de litteris meriti sunt. Namque, etsi serius hoc imperium exercuere, cum jam Græcæ Musæ senescerent, nec gignendus alter Homerus esset qui præceptis novis imbueretur; saltem Romanis vatibus utilis postea fuit ars Alexandrina. Brevi enim novam illam et doctiorem versificandi disciplinam omnes accepere; neque ea solum apud scriptores qui in Ægypto sedem posuerant in honore fuit, sed etiam apud ceteros ejusdem ætatis qui in aliis regionibus degebant; ita ut omnes, qualiscumque eorum patria fuerit, indiscrete Alexandrini nominarentur. Musei tamen poetæ hujus artis inveniendæ atque exercendæ fuere principes; ideoque in illis potissimum quærenda est.

CAPUT II.

—

DE CALLIMACHO MUSEI POETARUM PRINCIPE.

Regnante, ut diximus, Ptolemæo secundo, proventus ille Musei poetarum præcipue floruit, quem *Alexandrinam scholam* nominare solent. Sed, quemadmodum omnis schola magistrum habet, ita ea suum principem ducemque habuit, qui mihi videtur fuisse Callimachus. Ille enim tum ingenio, tum multiplici studiorum varietate, maxima auctoritate apud ceteros ejus ætatis atque etiam apud posteros valuit; ille novæ artis poeticæ leges dedit, et exempla proposuit; ille denique, regum favore subnixus, atque adeo potens ut adversantium conatus omnes frangeret, vere Alexandrini Parnassi moderator fuit.

Fateor equidem jam ante eum exstitisse Coum Philetam, qui hujus gloriæ partem pro sua vindicare videatur. Nam et ipse poeta celeberrimus, simulque grammaticus, unus ex primis Musei incolis fertur, regnante adhuc Sotere, a quo vocatus ad educandum Philadelphum fuerat. Ejusdem quoque discipuli di-

cuntur Zenodotus, grammaticorum studiorum inter Alexandrinos primus magister, et Theocritus, omnium hujus sæculi poetarum facile princeps (1). Attamen attentius consideranti videtur Philetas non potuisse in Museo magnum imperium exercere. Nam ætate jam provectus erat, cum Museum fundatum est; quippe quem Alexandri Magni temporibus floruisse omnes dictitent. Eum Ritschelius satis probabiliter Ol. CVIII vel CIX ortum putat; ideoque vix ad primos annos Philadelphi principatus durare potuit, quo tempore poetica Alexandrina florere haud ferme inceperat (2).

Ceterum idem carminis genus illustravit Philetas quod Callimachus : sed fere omnes critici hunc superiorem judicavere, præsertim Quintilianus, qui principem inter elegorum auctores Callimachum existimat, videlicet opinionem Græcorum secutus. Denique Alexandrinorum vitia et virtutes in Phileta non apparebant, qui neque doctus in sententiis, neque in verbis exquisitus fertur, sed potius (quod ex paucis fragmentis aut ex veterum testimoniis conjicere licet) simplicitate quadam se commendavit. Nam grammatici nunquam ex eo nova vocabula aut arcessitas dictionis elegantias referunt, multas autem ex Callimacho. Callimachus enim vere est Alexandrinus; et omnes notæ, quibus signantur hujus ætatis ac regionis ingenia, in eo et in scriptis ejus mirum in modum expressæ videntur. Nec solum, dum vixit,

(1) Bach, *Philetæ Coi reliquiæ*, p. 6.

(2) Ritschl, p. 81. — Philetam vetustiorem etiam arbitratur Bachius (*l. c.*, p. 10).

sed diu etiam post mortem, nec in Græcia tantum, sed apud Romanos doctæ illius scribendi artis auctor et perfector prædicatus est.

Quam opinionem breviter adumbrata ipsius vita recensitisque operibus confirmabimus.

De vita Callimachi.

Cyrenis natus est Callimachus, Batto patre, unde nomen Battiadis sumpsit (1). Vixit, auctore Suida, Philadelphi temporibus, sed *usque ad regnum Evergetis duravit* (2). His verbis non interpretandum arbitror eum senilis vitæ reliquos tantummodo annos sub eo principe traxisse (alioqui non digna notatione res fuisset), sed tum et celebrem adhuc fuisse, et opera edidisse : tanquam si quis dicat nostrum *Malherbe*, quamvis Henrico IV imperante præsertim floruerit, duravisse tamen ad regnum Ludovici XIII, quia pulcherrima poemata eo tempore senex composuerit. Callimachum autem omnes sciunt elegiam de Coma Berenices rerum potiente Evergeta fecisse. Eadem ætate, ut postea demonstrabimus, Hymnus ad Apollinem, Hecale, Ibis, nonnulla epigrammata edita sunt, testantibus scholiastis. Itaque minime criticis nostræ ætatis assentiri possum, quanquam

(1) Nisi malis interpretationem Weicherti, qui nomen id deductum putat a *Batto*, Cyrenes fundatore. (Weichert, *veber das Leben und Gedicht des Appollonius*, p. 68.) Quæ mihi opinio non videtur satis probabilis.

(2) Καὶ παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου.

eruditissimis, qui Callimachum contendunt (solis insistentes Suidæ verbis) in primis annis Evergetæ principatus admodum senem mortuum esse (1); eumque Ol. CXIV aut CXV (annis A. C. CCCXXIV vel CCCXX) natum arbitrantur (2). Mihi vero ortus ejus non ultra annum A. C. CCC retroferendus videtur. Nam, cum Evergetes regnare inceperit anno CCXLVII, non verisimile est tunc poetam admodum senem fuisse, cujus tam virile adhuc ingenium vigeret.

Juvenis autem Callimachus Alexandriam venit, cujus in suburbano quodam vico, nomine Eleusinis designato, grammaticam docuit. Fama autem novi professoris brevi pervulgata, Philadelphus rex eum in Museum adscivit, ubi litteras videtur docere perrexisse. Auditores autem habuit omnes in omni genere maxime præcellentes, poetam Apollonium, Aristophanem Byzantium grammaticum, Eratosthenem Cyrenæum, tot doctrinarum antistitem, denique multos alios quorum nomina minus illustria sunt.

Tot tamque insignium virorum corona cinctus, eorumdem magister, dominabatur in Museo Callimachus. At non ingenio tantum scientiaque prævalebat; sed etiam facili commercio et lepida quadam urbanitate acceptissimum imperium suum efficiebat. Doctorum enim convivia hilarabat, ut ex epitaphio illo percipi potest :

(1) Weichert, p. 22. — Matter, t. I, p. 151.
(2) Ritschl, p. 84.

Battiadæ tumulum cernis, cantare periti,
Festivisque epulas exhilarare jocis (1).

Æmulos sane et invidos sæpe habuit : nulla enim gloria est quam invidia non lacessat, præsertim inter homines una viventes iisdemque studiis deditos. Sed inimicos omnes tacere coegit, sicut ait ipse non sine jactantia in alio epigrammate tumulo patris inscripto :

Ad tumulum quicumque venis, me nosce, viator :
Callimachi jaceo filius atque pater (2).
Qui sint ambo rogas ? fuit ille potentibus armis
Dux patriæ ; hic vicit cantibus invidiam.

Adversariorum celeberrimus fuit unus e discipulis ejus, Apollonius Rhodius, de quo postea disseremus. Hic vero veterem magistri famam obtrectationibus suis adeo non obscuravit, ut contra ipse Alexandriam linquere cogeretur.

Ceterum eo potentior inter doctos erat Callimachus, quo apud reges acceptior. Fuit enim aulicus, adulationique attentus, neque ullam unquam occasionem omisit principes laudibus extollendi. In Hymno ad Jovem (v. 85 — 90), Philadelphi magnitudinem et potestatem cum ceterorum regum imbecillitate comparat ; in Hymno ad Delum (v. 165 — 190), ejusdem victoriam adversus rebellantem mercenario-

(1) Callimachus, *Epigr. XXXVII* (Ernesti).
(2) Callimachus, *Epigr. XXII.* — Avus Nostri *Callimachus* quoque nominabatur.

rum Gallorum exercitum splendidissimis verbis effuse celebrat ; in Hymno ad Apollinem (v. 30), laudes Evergetæ leviter attingit. In Elegiis autem, comam reginæ Berenices, novum sidus a mathematicis cœlo receptum, cecinit, cujus carminis Latina interpretatio a Catullo scripta superest. Denique Epigrammatum nonnulla reperiuntur ad studium adulandi spectantia ; inter quæ præcipuum illud est, quo eamdem reginam Berenicen Gratiarum numero subjungit :

Tres fuerant Charites ; venit sed quarta sub auras,
Nata recens, et adhuc unguine lota madet (1),
Felix, illustris Ptolemæi regia conjux,
Qua sine non ipsæ sunt Charites Charites (2).

Talium carminum auctor magnopere a principibus diligi debuit ; nec enim injucunde, nec inscite plerumque blanditur. Itaque præter honores eos quos in Museo cum ceteris participabat, constantissimo potentium favore fruitus est, et propria munera habuit. Bibliothecæ enim Alexandrinæ, ut testatur Ritschelii scholion, præpositus fuit (3), successor Zenodoti electus, vergente ad finem regno Philadelphi. Quanti autem momenti id ministerium fuerit satis aperte declarat ipsa bibliothecariorum omnium, quos novimus, series ; qui sunt Zenodotus, Calli-

(1) Veteri more infantes recenter nati unguentis abluebantur.

(2) Callim., *Epig. LV.*

(3) Vid. *Schol.* apud Ritschl, p. 3. « Callimachus, *aulicus regius bibliothecarius*, qui etiam singulis voluminibus titulos inscripsit. »

machus, Eratosthenes, Apollonius, Aristophanes, Aristarchus, singuli suæ ætatis celeberrimi. Callimachus vero ad ea munera exercenda tum eligebatur, cum genera omnia litterarum maxime in Museo florebant. Ipse autem monstravit non tantum per favorem provinciam tam difficilem accepisse; namque in administranda Bibliotheca plus fecisse fertur quam quisquam alius, quippe qui millia nonaginta voluminum in ordinem redegerit, et singulis titulos inscripserit (1).

Jam vero, si non vitam Callimachi, sed opera consideremus, ea ejus inter ceteros Musei scriptores excellentia manifestior etiam apparebit.

De scriptis Callimachi.

Qui in Museo volebat præstare, debebat omnem litterarum rationem omniaque studiorum genera amplecti. Noster autem universa illa disciplina fuit instructus, neque ulla in re quæ a doctis tractaretur rudis. Excepta enim philosophia, quæ tum ab omnibus Alexandrinis negligebatur, nulla est doctrina, nulla est sive carminum, sive prosæ orationis forma, quam non attigerit. Eum Suidas adeo infatigabilem adeoque laboriosum fuisse memorat, ut plus quam octingintos libros relinqueret: quem numerum me hercule amplificatum jure crederes, nisi tot testimoniis grammaticorum, apud quos reperiuntur pæne infinita hujus auctoris operum nomina, confirmari videretur.

(1) Vid. *Schol.*, apud Ritschl, *loc. cit.*

De scriptis in prosa oratione.

Multa et varia erant quæ Callimachus solutis numeris scripserat. Omnia autem tempus absumpsit. Primum de Museo ipso librum composuerat, valde desiderandum. Deinde, quantum laboris in recognoscenda Bibliotheca consumpserit, jam novimus. Ingentem autem operis molem suscepit, scilicet *Tabulas* quasdam *omnium in omni genere auctorum ac voluminum*, quæ centum et viginti libros complectebantur (1). Quidnam illud scriptum fuerit non plane manifestum est. Sed libenter crederem vastum quemdam indicem fuisse librorum Bibliothecæ, qui nomina scriptorum cum ipsis operibus in ordinem digesta continebat. Hæc recensio in plures partes secundum genera dividebatur; nam laudatur a veteribus *Tabula rhetorum* ac *Tabula eorum qui fabulas docuerunt*. Quæ vero earum tabularum similitudo sit cum his titulis quos a Callimacho voluminibus inscriptos refert Ritschelii scholion, nemini non perspicuum est. Forsan et duo illa nomina unum et idem opus designant. Namque in fragmento Græco de comœdia quod edidit Cramerus, quodque ab eadem origine ac Plautinum scholion profectum videtur, tituli ipsi voluminum vocantur πίνακες (2). Id igitur bibliothe-

(1) Πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις κ′ καὶ ρ′. (Suidas, *in Callim.*)

(2) Ὧν τοὺς πίνακας ὕστερον Καλλίμαχος ἐγράψατο. (*Scholia* Aristoph. (ed. Didot), Prolog. IX, a).

carii opus erat; sed me hercule difficillimum ac laboriosissimum. Eo vero usi esse videntur qui postea Bibliothecæ administrandæ curam susceperunt (1); id quoque persæpe laudant quicumque litterarum historiam apud Græcos attigere.

Alia est scriptorum series, scilicet eorum quæ de grammatica tractant, per quæ etiam Callimachus sequentis ævi laborum initium faciebat. Doctæ enim istæ occupationes, postquam primorum annorum poeticus ardor deferbuit, fere solæ in Museo fuerunt. Jam ante Callimachum talibus studiis claruerat Zenodotus; verum Homeri interpretationi tantum operam dederat. Sed Callimachus ampliorem materiam suscepit; simul enim grammaticam, fabularum scientiam, veterum populorum historias, geographiam variis disquisitionibus complexus est. Memorantur enim ejus (2) :

Commentarii historici, in quibus fabularum originem quærebat;

Miraculorum quæ in toto orbe sunt collectanea;

Origines insularum et urbium, earumque nominum mutationes;

Mensium apud singulas gentes nomina;

De Fluminibus orbis terrarum : Quod opus in plures partes scindebatur : citatur enim liber de Europæ, alius de Asiæ fluminibus;

(1) Vid. de Eratosth. testimonium in *Sch.* Ritschelii. — Memoratur et apud Athenæum Aristophanis liber in *Tabulas* Callimachi. (Lib. IX, p. 408.)

(2) Suidas, *in Callim.* — Callim. *Opera* (Ern.), p. 416, sq.

De Nominibus populorum ;

Index inusitatorum verborum Democriti, πίναξ τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν... Quem laborem mihi videtur emendandæ linguæ atque adversus barbariem protegendæ causa suscepisse ; videlicet, quia ille auctor, jam remotæ ætatis, atque Abderæ natus, vir alioquin præstantis ingenii atque admiratione digni, non puro sermone Græco utebatur, neque exempla ad imitandum sana offerebat.

Ipso quidem tot operum titulo licet agnoscere Callimachum his rebus maximam operam impendisse, quæ ad explanandam antiquitatem, atque ad interpretandum quidquid in lingua reconditum sit, pertinebant. Scientia ipsa naturæ non abstinuerat ; nempe *de Avibus* scriptiunculam fecit, non earum nomina tantum referens, sed describens et speciem et mores, sicut ex fragmentis et ex veterum testimoniis constat (1).

Non equidem velim affirmare hæc omnia Callimachi opera magni pretii fuisse, et eorum jacturam æque ac poematum ejusdem quorumdam lugendam. Sed quæcumque fuerint, ostendunt sane auctorem ipsum in omni investigationis genere esse versatum, atque ad omnes doctrinas suis discipulis viam aperuisse. Istis enim de *fluminibus orbis*, istis de *urbium origine* disquisitionibus Eratosthenis sagacitati uberrimam materiam comparabat. Veterem autem fabularum Græcarum silvam perscrutando, magnum opus inchoabat, quod mox Aristophanes, Aristar-

(1) Callim. (Ern.), p. 468.

chus, atque interpretum innumera legio perficere debebant. Denique *indicibus* illis verborum sive barbarorum, sive alicujus auctoris propriorum, exemplum grammaticis dabat, qui postea lexicis suis bibliothecas implevere.

De scriptis poeticis.

Prosa quidem scripta ad tradendum memoriæ Callimachi nomen sufficiebant. Sed hæc pars operum ejus minima erat. Præcipue enim inter poetas inclaruit, maximeque carminum fama subnitebatur, ut illum, quem diximus, in Museo principatum obtineret et exerceret.

Poematum autem, sicut et prosæ orationis, nulli generi alienus videri gloriæ suæ interesse arbitratus est. Omnia enim argumenta tractavit. Supersunt, vel in Hymnis, vel in fragmentis ejus, heroici versus, elegi, iambi, choliambi, lyræque diversi numeri. Operum autem index apud Suidam amplissimus est; quippe citantur tragœdiæ, comœdiæ, poemata satyrica, epica, didascalica, denique multa alia, quorum forma genusque ignoratur, et quæ critici proprio titulo designaverunt, sicut *Ius adventum*, *Spes*, *Semelen*, *Branchum*, *Galateam*.

Attamen e tot scriptis quædam fuere quæ præ ceteris eminebant, auctorique suo celeberrimam famam pepererant. Non enim omnia æque a veteribus laudantur. Sed ea quorum sæpissime mentio facta est, et quæ ideo absolutissima judicare licet, tria

sunt, *Elegiæ*, *Hymni* atque *Hecale*. His quoque *Epigrammata* subjicere decet.

De Elegiis.

Qui omnes dotes Callimacho abnegant, certe elegiæ palmam ei abnegare non possunt, quin contra totius antiquitatis sententiam repugnent. Ille enim solus ætatis suæ in ordinem ab Aristophane et Aristarcho datum inter elegiæ magistros venit : quod quidem testimonium quanti ponderis sit nemo non videt. Namque aperte declarat quanto in honore apud Alexandrinos haberetur Callimachus, cum ipse Theocritus, æqualis ejus, in eumdem ordinem non reciperetur. Multi etiam ex veteribus priores elegiæ partes ei tribuunt, eumque videntur Mimnermo ipsi prætulisse. Ait enim Quintilianus, eo loco quem jam in testimonium attulimus : « Tunc et elegiam vacabit in manus sumere, cujus princeps habetur Callimachus ». Hoc autem verbum *habetur* satis ostendit non propriam opinionem, sed potius omnium criticorum, tum Græcorum, tum Romanorum, communem a Latino rhetore proferri.

Pauca supersunt Elegiarum fragmenta; sed, ex his quæ habemus, atque ex veteribus testimoniis, conjicere licet eas non tam simplici et naturali personarum affectuumque adumbratione quam sententiarum docta curiositate fuisse commendabiles, poetamque ipsum Ovidio et Propertio quam Tibullo similiorem posse judicari. Inter celeberrima hujus metri poematia

carmen erat, ut jam diximus, de *Coma Berenices*, quod interdum invenimus tum adulatione non parum elaborata, tum scientia et eruditione multa respersum. Memoratur quoque ab Ovidio Elegia in Cydippen :

Callimachi numeris non est dicendus Achilles ;
Cydippe non est oris, Homere, tui,

cujus ipse titulus fabulosam doctamque materiam videtur indicare.

Attamen Callimachus, licet reconditarum rerum scientiæque plus æquo inquisitor, non sine pectore fuit. Molles autem tenerosque sensus in Elegiis sæpius exprimebat. Amorem cecinit, et novit ipse. Testatur enim Ovidius in *Tristibus* (II, 368) eum sæpe legenti *delicias suas confessum esse;* dicitque alias :

Callimachum fugito, non est inimicus amori.

Denique nonnulla epigrammata Battiades ipse nobis reliquit, quæ sunt vere amantis, neque infacundum eum fuisse in depingendis affectibus confirmant (1). Quibus causis valde desiderandæ sunt Elegiæ : nempe in eis Callimachus omnes artis suæ concinnitates expromere debuit, cum præcipuum ipsius opus essent; ideoque abundantem materiam ad formandum nostrum de poeta et de ejus ratione judicium haberemus, nisi eam nobis tempus invidisset.

(1) Vid. præsertim *Epigr. XLIII* et sq.

De ceteris poematibus.

Hymni quidem nunquam in tanto honore habiti sunt, quantum Elegiæ obtinuerant. Neque immerito; namque id genus quamdam sublimitatem requirebat, cui Callimachi mens impar esse videbatur. Hæc tamen opera non contemnenda sunt : licet iis nonnunquam absit vehementior spiritus, multis sententiarum verborumque leporibus renident.

Sex Hymni supersunt ad celebranda numina compositi, scilicet in Jovem, in Apollinem, in Lavacra Palladis, in Cererem, in Dianam, in Delum. Eorum quatuor primos cærimoniarum publicarum causa esse factos arbitror, ut ex ipsis exordiis fas est concludere. Habent autem magnam imprimis dignitatem, gravesque sententias et religioni convenientes; nec non et eis interdum fabulosæ historiæ ad delectandum lectorem immiscentur (1). Hymni autem in Dianam et in Delum nihil habent quod ad cultum attinere videatur; sed potius tanquam materiæ faciendis versibus idoneæ a poeta selectæ sunt. His vero inest plus varietatis in picturis, sæpiusque simplicitate quadam vel etiam hilaritate gravitas temperatur (2).

Ceterum in omnibus Hymnis, quodcumque eorum

(1) Vid. in *H. in Lav. Pall.* Tiresiæ, in *H. in Cer.* Erysichthonis historias.

(2) Vid. præsertim *Hymn. in Dian.*, v. 145—161.

argumentum sit, æque apparet maximum artificium versificandi. Quidquid enim ad verborum numerorumque compositionem attinet, accuratissime elaboratum est. Cum autem hæc poemata diversis temporibus composita fuerint (1), cumque in eis eadem sit ratio dicendi, præcipua inde Callimachi artis secreta deprehendere possumus.

Magnopere etiam ad eam cognitionem profuisset *Hecale*, quæ heroicum idyllium fuisse videtur, in quo narrabat vates quomodo Theseus, cum contra Marathonium taurum decertaturus proficisceretur, ab anu quadam, nomine Hecale, hospitio exceptus fuisset. Hoc carmen, quod Næckius ex fragmentis satis feliciter recolligere tentavit (2), sæpissime veteres laudaverunt, et valde mirabantur : summa enim elegantia sermonis et absolutissima arte scriptum erat. Illud Crinagoras *poema tornatum* vocat in epigrammate, quod exstat in Anthologia, lib. I :

Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε...

Idem opus perutile esset ad judicandum quænam fuisset Callimachi vis in inventione. Ferunt enim Hecalen satis longam fuisse, quippe quæ composita fuerit ad refutandas inimicorum calumnias, qui Callimachum contendebant vasto operi imparem

(1) Hymni in Delum et in Cererem, regnante Philadelpho, Hymnus in Apollinem, regnante Evergeta, certe editi sunt, teste vel ipso auctore, vel vetere scholiasta.

(2) Næcke, *Callimachi Hecale*, Bonnæ, 1845.

fore (1). Sed fortuna adeo poetæ nostri famæ invidit, ut, ex tribus illis operibus quæ eum celeberrimum fecerant, quod minimum erat supernatare naufragio antiquitatis voluerit.

De Epigrammatibus.

Epigrammata autem quæ exstant, amplius LXX, materiam quoque nobis ad faciendum de arte Callimachea judicium offerunt, quanquam id carminis genus levioris momenti judicari potest; sed in summo honore apud Alexandrinos vates habebatur. Namque epigrammata non tantum mordaces, ut apud nos, sententiolæ erant; sed his utebantur poetæ ad exprimendos omnes sensus qui acumen quoddam aut brevius dicendi genus requirunt. Amantes suum amorem, amici suam amicitiam, aulici suas adulationes epigrammate significabant; denique fere omnia ea genera quæ nos *fugitivam poesim* appellamus, tum in epigrammata confluebant. In convictu autem illo Alexandrino sæpissime occasio dabatur ad facienda ejus modi poematia, ideoque nullus fere hujus ætatis poeta est, qui non epigrammatum auctor feratur. Inter quos certe princeps eminet Noster; nam, omnium consensu, ejus Epigrammata inter optima totius antiquitatis numeranda sunt.

Aliud est Callimachi poema, de quo nihil diximus, τὰ Αἴτια, *Causæ*; quod tamen Weichertus præcipuum

(1) Vid. Hymni ad Apollinem *Scholia*, v. 106.

illius opus fuisse contendit (1). Id carmen quatuor libris origines fabularum, ac morum et institutorum causam referebat. Quæ quanquam materia Alexandrinæ indoli plane conveniebat (quippe his temporibus placuere semper argumenta operum e subtilibus aut reconditis doctrinis petita), tamen in ea minus felicem fuisse Callimachum suspicor. Causarum enim poema fuit præsertim obscuritate famosum, ut testatur Clemens Alexandrinus, qui id dicit multam operam grammaticis dare solere, Cassandræque Lycophronis assimilat (2). Epigramma etiam in Anthologia invenimus, Apollonio grammatico assignatum, alioqui plane insulsum, in quo ille vehementer in Causas et in auctorem earum invehitur, videlicet difficultatibus tenebrosi poematis stomachatus :

Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξύλινος νοῦς·
Αἴτιος ὁ γράψας Αἴτια Καλλιμάχου (3).

Causas igitur ad gloriam Nostri parum contulisse suspicor, ita ut inter artis Callimacheæ monumenta minime hoc opus annumerandum esse videatur.

(1) Weichert, *Ueber das Leben*, etc., p. 42.
(2) Clem. Alex., *Strom. V*, p. 571.
(3) Hoc distichon Weichertus Apollonio Rhodio poetæ falso attribuit (*loc. cit.*, p. 42).

CAPUT III.

QUÆ SIT ARS CALLIMACHI.



Jam vero ad primum hujus operis propositum regredi decet, et de arte ipsa Callimachi disserere. Quæ mihi, ut statim dicam, tota videtur in accuratiore et elegantiore versificandi ratione versari. Meditata industria reformavit poeticam Callimachus, novasque ad leges et severiores redegit. Hunc laborem non unus suscepit; nam a ceteris Alexandrinis scriptoribus adjutus est, ut postea docebimus: sed principatum, quem in omnibus fere studiorum generibus videtur exercuisse, in nulla re magis exercuit quam in instituenda illa disciplina. Quod quidem abunde confirmatum testimoniis Latinorum poetarum crederem, qui eum ante alios unum condendi versus artificem prædicant, nisi superessent ipsius carmina, in quibus omnia poeticæ Alexandrinæ secreta deprehendere licet.

Cum vero duo præsertim genera, epicum et elegiacum, illustraverit Noster, operæ pretium est,

ut ejus artis novitatem rite judicemus, pauca de poetis dicere qui ante eum in iisdem generibus nomen habuerunt.

De poeticæ artis ratione ab Homero ad Pisistratum.

In duas partes dividi potest omnis epicorum et elegiacorum poetarum series quæ Callimachum ætate præcucurrit. Alii ab Homero ad Pisistratum, alii a Pisistrato ad Alexandrum floruere.

Ex illis primus occurrit ipse Homerus, Græcæ poeseos princeps et parens,

> A quo, seu fonte perenni,
> Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Tanta admiratione omnium mentes impleverat Ionici vatis sublimitas, ut diu sequentium ætatum poetæ carmina ejus velut immutabilem versificandi normam acciperent, neque quidquam in tam perfecto sermone sub censuram cadere posse existimarent. Sed postquam grammatica inventa est, incepere docti homines liberius de Homero judicare; primisque Ptolemæorum temporibus scientia illa jam satis longe progressa erat, ut nonnullæ in fulgore Homerico maculæ criticorum oculos offenderent. Horum enim carminum forma antiquorum sæculorum simplicitatem redolebat, admiseratque multa, quæ recentioribus temporibus placere non poterant.

Nempe, in metro, reprehendendi videntur apud Homerum frequentiores hiatus, brevesque syllabæ

sæpius per cæsuram productæ. Tum etiam claudicantes bisque cadentes versus, tum sensus vocesque parvo intervallo repetitæ, tum particularum conjunctionumque profluentia, rudem adhuc poeticam denuntiant. Jam vero circuitus et constructio verborum nonnunquam laxa est, cum nullam rem magni ponderis poeta pingit, et dormitare, ut ait Flaccus, bonus Homerus videtur. Denique ipsa illa epitheta, quæ Homerica dicta sunt, tam feliciter inventa, tam floridis distincta coloribus, tamen nimis iterata, iisdemque nominibus velut adhærentia, non satis artifici manu disposita esse merito diceres.

Procul absit ut Homeri gloriæ aliquid detrahere velimus. Ea enim minima vitia ejus antiquitati condonare decet. Nihilominus vitia scriptoribus Alexandrinis videbantur; neque, si talem licentiam in Homero non reprehendebant, suæ quoque ætatis poetis permisissent. Indicia sunt eorum severitatis tot tantæque emendationes quas in novis Iliadis Odysseæque editionibus proposuere. Nam quosdam versus ea tantum causa spurios judicabant, quod a solita poetæ alacritate et virtute discrepare viderentur (1). Aristarchus obelo notabat quidquid non videbatur esse perfectum : ante eum Zenodotus, nimiæ austeritatis judex, simplicitatem etiam a negligentia male secernebat, quippe qui versus bis parvo intervallo repetitos (ut sunt in secunda rhapsodia Jovis ad Somnum et Somni ad Atridem verba) tollendos esse arbitraretur (2).

(1) Lehrs, *de Aristarchi studiis Homericis*, p. 258.
(2) Id., *ibid.*, p. 257.

Verum enimvero Homericam illam poeticam, licet interdum rudem, omnes primæ ætatis epici vates imitati sunt, sine ulla boni aut mali distinctione. Etenim in fragmentis cyclicorum quæ supersunt, a Stasino illo, omnium antiquissimo, ad Pisandrum, qui fertur vixisse sæculo ante Christum septimo, reperiuntur integra vatis Ionici hemistichia, eadem epitheta iisdem nominibus adjuncta, denique artificia versificandi omnino similia. Frustra novi aliquid vel in verbis vel in sententiis exquireres; omnia illa carmina una ex officina exiisse videntur, neque mirandum est si plura Homero false adscripta sunt : ejus facile esse diceres, nisi ingenium deesset. Ipse Hermannus, metri peritissimus magister, vix aliquantulum discriminis inter tot tam longæ ætatis scriptores invenit, quod in recentioribus hiatus rariores appareant (1). Erat prisca illa poesis quasi communis materia, unde omnes quidquid vellent libere ad se detrahebant.

Primi elegorum scriptores, Callinus et Tyrtæus, qui Pisandri temporibus, vel paulo ante, floruerunt, Homeri quoque imitatores videntur. Iis sane plus motus inest, sicut et argumentum poscebat, sed dicendi genus epicis usitatum assumpserunt. In Tyrtæo enim locutiones omnes Iliadis notissimas ubique reperias; versus autem condendi ratio, ut in dispari genere, non valde dissimilis est. Idem de Solone, quamvis recentiori, dicere possumus. Mimnermus ipse, elegorum hujus ætatis auctor elegantissimus,

(1) Hermann, *Orphica*, p. 688.

istam imitationem Homeri non omnino exuit, licet suavitatem quamdam sermonis propriam habere videatur. Nam, ex fragmentis ejus quæ supersunt rarissimis, unum est ab Athenæo relatum, in quo Homerica epitheta deprehenduntur, ῥοδοδάκτυλος ἠώς, ἠὼς ἠριγένεια, frequentiore usu jampridem trita et vulgatissima (1).

Gnomicorum satis largam reliquiarum copiam habemus; sed in iis artificia dictionis poeticæ non requirenda sunt. Potius enim sensuum brevitatem quam versificandi elegantiam, graves sententias quam concinnitatem orationis consectantur. Iisdem de causis missos facio philosophos, Xenophanem, Parmenidem, recentioremque iis Empedoclem, qui, quamvis carmina condiderint, in arte poetica magistri neque fuerunt, neque esse voluerunt. Nullus enim ex his omnibus in ordinem a grammaticis datum inter poetas epicos ant elegiacos admissus est.

Itaque, si ad eos tantum attendimus, qui vere artifices versuum ferebantur, in hac prima ætate, omnes Homeri non solum discipuli, sed sæpe etiam, epici præsertim, imitatores servi fuere. Nihil novi in arte poetica fuit inventum, nihil additum; magni vatis lingua facta est omnium communis, ejusque versus omnibus modis sunt recantati. Certe dignissimum æmulatione fuit tale exemplar; attamen necesse erat pulcherrima Homeri artificia, per tot poetarum manus quasi tradita, paulatim obsoles-

(1) Athen., lib. XI, sect. 39.

cerent, et, quæ in inventore nova et admiranda, eadem in imitatoribus vulgaria viderentur. Hocce judicium sequentium ætatum fuisse arbitror.

De poeticæ artis ratione a Pisistrato ad mortem Alexandri.

Post Pisandrum paulisper epica Musa obmutuit, lyræque magistri attentos omnium animos suis cantibus tenuere, usque dum victoria de Persis, fomes ille ingeniorum, novum epicorum vatum proventum suscitaret. In hac secunda ætate tres præclari scriptores floruerunt, Panyasis, Chœrilus Samius, et Antimachus, trium tragicorum Atticorum æquales, quorumque duo in ordinem Alexandrinum venerunt. Eorum scripta omnino periere : quæ jactura eo magis lugenda est, quod ab Homeri vestigiis deflexisse, et viam novam aperuisse videntur. Fragmentorum quæ supersunt tanta, non solum paucitas, sed etiam brevitas est, ut inde nihil certi eruere possis. Sed habemus veterum de his auctoribus judicia, præsertim de celeberrimo eorum Antimacho, quorum ductu aliqua ex parte institutæ quæstioni satisfacere licet.

Antimacho, Thebaidis auctori, post Homerum secundas, ut ait Quintilianus, fere grammaticorum consensus deferebat 1). In eo vis et gravitas erat, nobiles sublimesque interdum sententiæ reperie-

(1) Instit. orat., l. X, c. I, § 53.

bantur ; quibus virtutibus valde delectatus esse Plato dicitur. Sed eidem defuerunt affectus et rerum lucida dispositio (1) : multa enim doctrina instructus, veterum fabularum farraginem sine ordine et modo miscuisse videtur. Interpres Horatii Acron ad Thebaidem refert celeberrimos eos versus, quibus, dum laudatur Homerus, vituperantur alii :

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

Quemadmodum in sententiis, ita in verbis Antimachus magnis virtutibus simul et vitiis notabilis fuit. Quod enim præcipue in eo veteres laudant, vulgare dicendi genus omnino vitavit. Sed novitatem captando elegantiam non consecutus est : *jucunditate et omnino arte deficitur*, inquit Fabius. Quod judicium videntur confirmare primo Plutarchus (2), qui poesim ejus robusto viro assimilat ægre nitenti ; deinde Proclus (3), qui notat in eo laboriosum eloquium, strepitum verborum, figurarumque profluentiam. Severior etiam Callimachus, utpote venustatum dicendi amantior, ejusdem elegiam *Lyden* poema crassum et inelegans appellat :

Λύδη καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν. (*Fragm.* 441.)

Ceterum, quod ad versificationem attinet, Thebaidis

(1) Instit. orat., l. X, c. I, § 53.
(2) Plut., *Timol.*, c. XXXVI.
(3) Proclus, *In Timæum Plat.;* I, p. 20.

fragmenta reperiuntur negligentissime scripta, quibus Callimachus iram excusare posset. Ex his, exempli gratia, unum referam :

Κήρυκας ἀθανάτοισι φέρειν μέλανος οἴνοιο
Ἀσκὸν ἐνίπλειον, κελέβειόν τ' ὅττι φέριστον
Οἶσιν ἐνὶ μεγάροις κεῖται μέλιτος πεπληθός (1).

Antimachus igitur imitator Homeri nullo modo fuit quippe qui *ab usitatis deflectere studuerit*, ut ait Dionysius (2). Eum potius lyricorum vatum plus æquo æmulum crederem. Quod quidem denuntiat ea in sententiis audacia, is translationum usus frequentior, isque circa verba labor perpetuus. Denique multa etiam ex Dorica lingua, quæ lyricorum est, usurpasse eum testatur Nicandri scholiastes, qui huncce dicit *æmulum Antimachi esse, atque ideo Dorice interdum loqui* (3). Idem testimonium nos monet Antimachum in honore apud quosdam Alexandrinos poetas fuisse. In eo enim Alexandrinam indolem jam aliqua ex parte agnoscas. Nempe ipse doctus fuit, et ex ostentatione doctrinæ, sicut Musei scriptores, in carminibus laudem videtur captare voluisse. Sed si Alexandrinis ad quædam studia viam præmunivit, certe ad formandam eorum, quam quærimus, artem non magno adjumento fuisse putandus est, quippe qui arte præsertim caruerit.

(1) Antim. *Fragm.*, p. 29 (ed. Didot).

(2) Τοῦ συνήθους τῆς ἐξαλλαγῆς ἐφρόντισεν. (Dionys. Halic. *Censura veterum script.*)

(3) Nic. *ad Ther. sch.*, v. 3.

De Panyasi et Chœrilo veteres admodum pauca retulerunt. Sed ambo satis probabiliter Antimachi non dissimiles judicari possunt. Nam Suidas Panyasim veluti novi hujus epici generis auctorem et parentem designavit (1). Chœrilus autem fertur, ut Antimachus, sæpius in suo carmine *de Persico bello* figurata oratione usus esse, adeo ut ab reconditioribus etiam rebus exempla et comparationes peteret (2).

Eadem ætate elegi quoque reperiuntur. Primum enim Antimachus celeberrimam apud veteres elegiam composuerat, *Lyden* de nomine amantis vocatam, quam multa eruditione, sicut Thebaidem, resperserat. De ea Callimachi judicium jam novimus; quod, etsi forsan severius, docet tamen in elegis illum non feliciorem fuisse quam in epicis. Post Antimachum multo recentiores invenimus Philetam et Hermesianactem, qui ambo ad tempora Ptolemæorum duraverunt. Philetæ quæ merita fuerint paucissimis testimoniis conjicere tantum licet, sicut antea diximus. Hermesianactis autem satis longum fragmentum superest. In quo nulla adhuc Alexandrinæ artis vestigia reperias. Nam genere dicendi utitur simpliciore, et prosæ orationi interdum viciniore; vocaliumque ante mutam cum liquida frequentior correptio Atticæ versificationis imitatorem denuntiat potius quam Homericæ (3).

(1) Ὃς σβεσθεῖσαν τὴν ποιητικὴν ἐπανήγαγε. (Suidas, *in Panyasi.*)

(2) Næcke, *Chœrili Samii quæ supersunt*, p. 59.

(3) De *Phanocle* nihil dico, quanquam nonnulli eum Her–

Itaque, ut dicta quam brevissime repetam, ante Callimachum epici et elegiaci primo Homerum imitati sunt, sed non satis certo judicio; deinde, vestigiis ejus relictis, ad genus eloquii novum deflexerunt, quod elegantia et arte sæpius caruit. Videtur autem Callimachus consilium habuisse duo illa vitia simul vitandi, et medium quoddam iter inter cyclicos et Antimachum tenendi. Etenim ad imitationem Homeri reversus est, qui semper omnis poeticæ fons et origo existimabatur; sed quid in eo imitandum esset, quid obsoletum et negligendum apte discrevit: ab eo rationem tantum, non verba et voces mutuatus est. Imo quidquid apud Homerum nimis priscum et simplex, aut interdum nimis rude esset, studebat corrigere. Vulgare autem dicendi genus, sicut Antimachus, Noster quoque diligentissime vitavit, doctrinæque laudem consectatus est; sed concinnitatem sermonis et venustatem non neglexit, ut ille; ceteris vero anteponendas eas semper existimavit. Ex his omnibus ars Callimachi constare mihi videtur, de qua ipsa jam amplius disserere aggrediar.

De ratione artis Callimacheæ.

Quæ de illa versificandi et loquendi ratione Callimachea nobis dicenda sunt, in tres partes dividi possunt : unam, de operum compositione; aliam,

mesianactis æqualem putant; nam in eo manifesta Musei poetarum imitatio apparet, ita ut inter discipulos Callimachi jure reponendus esse videatur.

de verbis et de genere dicendi ; aliam denique, de metro.

I. — *De compositione operum.* — Primum Callimachus longa opera semper respuit. Cum perfectissimam versificandi rationem quæreret, eam intellexit in parva tantummodo materie posse inveniri ; nam in productis poematibus multa esse videbat quæ artem excludebant, multa quæ languebant aut superfluebant, aut nimis simpliciter dicebantur. Cujus vitii poetæ cyclici omnes exempla sæpissime obtulerant ; in iis enim summa inæqualitas erat, genusque dicendi nunc jejunum, nunc redundans, prout argumentum ferebat. Solus Homerus onus epicum sustinere potuerat ; sed Callimachus suo tempore nemini jam tantam rem esse tentandam arbitrabatur : periculum enim esse hinc negligentiæ, inde autem fastidii. Itaque dicere solebat, ut ferunt, *magnum librum magno malo parem esse* (1).

Nec solum longa opera, sed etiam nimis prolixas rerum enarrationes omnino dedignabatur. Cautus enim in singulis rebus seligendis, quidquid vulgare, quidquid tritum ornamentum credi posset, rejecit. Raro etiam imitator, neque unquam imitator servus fuit ; sed summa verecundia alienis et verbis et sententiis usus est. Itaque qua causa eum Lucianus inanis in vulgaribus materiis loquendi profluentiæ

(1) Τὸ μέγα βιβλίον ἴσον τῷ μεγάλῳ κακῷ. (Athenæus, lib. III, sect. 1.) Ipse tamen Callimachus quatuor librorum opus, τὰ Αἴτια, composuerat. Hos vero libros non simplicis compositionis fuisse crediderim, sed potius distinctorum fabularum historiarumque veluti collectanea.

insimulaverit (1), difficile est hodie perspicere, nisi id vitium in quibusdam carminibus hodie desideratis innotuerit. Nam in scriptis quæ habemus minime apparet. At contra sæpissime brevis et ultra modum sobrius est Callimachus, ita ut in rebus depingendis aliquid desiderandum relinquere voluisse videatur. Vix adumbratur hæc arboris descriptio :

Ἧς δέ τις αἴγειρος, μέγα δένδρεον, αἰθέρι κῦρον·
Τῷ δ' ἔπι ταὶ Νύμφαι ποτὶ τὤνδιον ἑψιόωντο.
(*In Cer.*, v. 38.)

Timebat enim in communia delabi si plura dixisset. Uno versu Cereris iratæ terribilem majestatem ostendit :

..... γείνατο δ' ἁ θεῦς·
Ἴθματα μὲν χέρσω, κεφαλὰ δέ οἱ ἅψατ' Ὀλύμπω.
(*Ib.*, v. 58.)

Eadem brevitate multa alia tractavit. Copiosior vero est cum ea quæ depingit minus nota sunt ; ideoque interdum ornamenta captat subtiliora, ac ducitur in descriptionem rerum parvarum, et quodam modo domesticarum, sed quæ extra tritam orbitam positæ esse videri poterant. Tales sunt hi versus quibus Dianam infantem monstrat genibus patris Jovis familiariter insidentem, mentumque ejus parvulis manibus frustra conantem attingere (*in Dianam*, v. 26—29);

(1) Lucian. *De Scrib. histor.*, c. LVII.

aut illi in quibus eadem per jocum de hirsuto Brontis pectore pilos evellit (*ib.*, v. 75—79).

Ostentationem etiam arcessitæ simplicitatis putidiorem præfert ejusdem Hymni locus, ubi Mercurius, vultum oblitus fuligine, vicem Cyclopum implens, parvulas Deas territat quæ parentum dictis non obedientes sunt (*ib.*, v. 66—72). Iis omnibus vates novitatem consectabatur, atque obsoleta et communia putabat vitavisse. Hac autem ratione sæpe usi sunt ejusdem ætatis scriptores, præsertim Theocritus; verum iste commodius, quippe cujus materiæ plerumque id genus ornamenti postularent. Vulgatis optimis, ad inferiora descendere cogebantur, ut satietatem lectoris antevenirent.

II. — *De verbis et de genere dicendi.* — Omnem operam semper impendit Callimachus ad poeticam linguam reformandam et exornandam. Primum enim omnes priorum vatum pannulos omnino exuit. In eo nullam periphrasim Homericam, nullum Homericum appositum invenias. Alia et nova illustramenta quærit. Circumlocutionibus utitur curiosissime inventis, epithetis nominibusque arcessitis ac minus notis; ut sunt :

Ὠγύγιος, *pro* παλαιός ;
Ἐσσήν, *pro* βασιλεύς ;
Πηλογόνοι, *pro* Γίγαντες ;
Ὀψιγόνοι Τιτῆνες, *pro* Γαλλοί; etc....

Fastidiosum esset plura referre, nam sunt innumera. Nec solet vates semel usurpatum ornamentum iterum

repetere, sed quæ non adhuc notuere semper aucupatur.

Incredibile est quanto studio poetica quæque verba elegantissima in veteribus auctoribus venetur, delectumque eorum faciat; alia autem parce a priori significatione detorqueat; alia ipse fingat et fabricet. Grammaticorum libri pleni sunt importatis in linguam a Callimacho locutionibus, subsequentiumque poetarum turba istis ejus exuviis large ditata est. Unum exemplum afferam quo perspicuum sit quantum circa verba sudaverit. Demorsos ungues maxime sapit is locus quo Martem ostendit armorum et clypei fragore terras agitantem, non secus ac Vulcani officinam perturbat Briareus, cum fessum mutat latus :

..... Φόβῳ δ'ὠρχήσατο πᾶσα
Θεσσαλίη, τοῖος γὰρ ἀπ'ἀσπίδος ἔβραχεν ἦχος.
Ὡς δ'ὁπότ' Αἰτναίου ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο
Σείονται μυχὰ πάντα, κατουδαίοιο γίγαντος
Εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο,
Θερμαυστραί τε βρέμουσιν ὑφ'Ἡφαίστοιο πυράγρης,
Ἔργα θ'ὁμοῦ, δεινὸν δὲ πυρίκμητοί τε λέβητες
Καὶ τρίποδες, πίπτοντες ἐπ'ἀλλήλοις, ἰαχεῦσι·
Τῆμος ἔγεντ' ἄραβος σάκεος τόσος εὐκύκλοιο.

(*In Delum*, v. 139.)

Vere epicum sonat illa periodus : quam si excutiamus, multa inveniemus doctæ investigationis indicia :

Ὠρχήσατο φόβῳ, *saltavit præ metu*, metaphora audax et insolita est, qua semel usus est Æschylus :

..... Ὀρχεῖται δὲ καρδία φόβῳ

(*Choeph.*, 165.)

Μυχά *pro* μυχοί, *cavernæ*, ante Callimachum nusquam reperitur; id autem postea assumpsit Dionysius Periegetes (v. 117).

Κατουδαίοιο, *subterranei*, ab Hesiodo semel dictum; renovatum autem a Nostro Oppianus mutuatus est.

Ἐπωμίδα, *summam partem humeri*, *pro* ὦμον : hujus synecdoches auctor Euripides videtur :

Λαβοῦσα πέπλους ἐξ ἄκρας ἐπωμίδος...
(*Hec.*, v. 558.)

Πυρίκμητοι, *igne laborantes*, creatum est a Callimacho; Nicander autem deinde usurpavit (*Ther.*, v. 241).

Adde eodem maxime poeticas illas voces : θερμαυστραί *pro* κάμινοι, ἰαχεῦσι, ἄραβος, quibus Homerus usus erat, sed quæ imitando non vulgares factæ erant.

Omnes autem figuras, omnes elegantias, omnem faciendorum versuum supellectilem scite distribuit Callimachus, atque ex industria variat, ne eorumdem ornamentorum frequentior usus fastidium pariat. Nunc enim concisa ejus oratio, nunc large profluens est; nunc rectam dicendi viam sequitur, nunc interrogationes aut exclamationes sermoni inserit; quales sunt quæ incipiente in Apollinem Hymno tam pressæ videntur. Sæpe etiam nominum repetitione, interdum et *onomatopœia* docte utitur, præsertim cum de invasione Gallorum dicit :

..... καὶ ἠπείροιο φάραγγες
Ἀμφιπεριστείνωνται ..... (*In Del.*, v. 179.)

At enim, inquies, omnia illa artificia in Homero

reperiuntur. Fateor equidem; neque horum inventorem Callimachum esse contendo. Sed nemo ea tam constanti tamque perpetuo studio in lucem protulit. Homerus artis suæ quasi non conscius, nec in locis omnibus artifex est : sed cum magnas res tractat poeticisque coloribus idoneas, tum plane est admirabilis; parvas autem et mediocres persæpe simpliciter et incompte narrat. Ingenio enim ducitur, Callimachus doctrina. Nullus igitur fere in Nostro versus est, cui non sit suus decor, qui non decies incudi sit redditus, atque ad unguem perfectus. Non tamen continuus ille labor tædium parit; nam variatur, et verba semper ad sententiam consonant. Callimachum minime Claudiano comparaverim, in quo eadem quoque versificandi cura celebratur, sed quæ nimia numerorum similitudine fastidio est, non delectationi.

Jam vero ad ornandam orationem maxime usitatus Callimacho mos est, quem prætermittere non possum, scilicet propria personarum aut locorum nomina in vicem communium vocabulorum adhibendi. His enim persæpe utitur tanquam epithetis, eaque circumlocutionibus interserit, videlicet hoc consilio ductus, quod jam dixi, ne quid eloquii vulgaris retinere videatur. Talia enim nomina attentas aures lectoris faciunt, remque significantius definiunt, et quod alioquin obscurum esset nitere cogunt. Itaque in Hymno ad Pallada, cum jubet vates famulas Argivas non ex Inacho, sed ex fontibus vicinis aquam haurire, hos ipsos fontes nomine designat, *Physadeam* et *Amymonem* :

Σάμερον αἱ δῶλαι τὰς κάλπιδας ἢ 'ς Φυσάδειαν,
Ἢ ἐς Ἀμυμώνην οἴσετε τὰν Δαναῶ.
(*Ad Lav. Pall.*, v. 47.)

In Hymno ad Delum, cum narrat ipsius insulæ fluitantis inter maria errores (v. 41—44), aut Latonæ fugam (v. 70—77), varia quoque regionum et urbium nomina versibus immiscet, quæ ad honestandam sententiam plurimum valent. Sæpius etiam unum modo nomen proprium tanquam appositum adjicit. Prætendit mater Erysichthonis abesse filium, quod *Cranonis* pastoribus suas boves repetitum iverit (*in Cerer.*, 77), aut quod pecudes in jugis *Othrys* numeret (*ibid.*, 87).

Etsi parum nitent flosculi isti, certe orationem plebeiam esse non sinunt. Per eos phrasis fit phrasi alii dissimilis, propriumque colorem accipit. Hac ornandæ elocutionis ratione primus invenitur Callimachus tam constanter usus tamque industrie. Inter æquales ejus Theocritus eam quoque sæpe consectatus videtur. Post illos multi e præstantissimis scriptoribus idem artificium exquisiverunt : inter quos imprimis Horatium nominaverim. Quis enim non recordatur ejus notissimos locos ?

Nunquam dimoveas, ut trabe *Cypria*
Myrtoum pavidus nauta secet mare.....
.. .. aut mare *Caspium*
Vexant inæquales procellæ.....
..... aut aquilonibus
Querceta *Gargani* laborant.....

Nemo enim melius novit quanti momenti sit hic propriorum nominum usus, ut satietati varietas occurrat, et quisque versus veluti quadam singulari nota admirationi commendetur.

III. — *De metro.* — In metro, non minus quam in ceteris, Callimachus certiores regulas constituit, et accuratiore elegantia nobilis fuit. Ejus carmina tanquam purissima Græcæ versificationis exemplaria proponi possunt.

Artem autem poeticam ex facili difficilem præsertim efficere conatus est. Primum enim omnia quæ in Homero mendosa videbantur, in melius mutavit. Bis cadentes versus et claudicantes repudiavit, qui multi in Iliade et Odyssea reperiuntur; ut est ille :

Οὐλομένην, ἣ μυρί᾽ Ἀχαιοῖς | ἄλγε᾽ ἔθηκεν .....

Particulas, quæ fere significatione carent, ἄρα, τοι, δή, si non omnino rejecit, saltem quam parcissime admisit. Hiatus vitavit, exceptis illis, quos severissimi etiam critici concedunt, ut sunt in vocabulis ἕ vel οἱ, vel paucis aliis usu probatis. Syllabas per cæsuram bis aut ter produxit in Hymnis, qui plus mille versibus continent. Uno autem verbo, quidquid in versificatione Homeri obsoletum aut vitiosum erat, postea a recentioribus tanquam in patrocinium peccandi admissum, ipse aspernatus est, ac suo exemplo rejiciendum esse docuit; quidquid autem boni, servavit, atque in legem convertit.

Ideo præcedentis ætatis poetarum pravum morem

mutavit, quo vocales ante mutam cum liquida in mediis verbis corripiebant. Eas Homerus produxerat, quippe quas productas ad harmoniam magis conducere intellexisset. Nam Ionica lingua brevibus syllabis jam scatens, longarum potius novum augmentum quam brevium desiderabat. Sed post eum iamborum scriptores, tragici præcipue, et eorum exemplo recentiores epici et elegiaci poetæ easdem communes reddere sibi commodius judicaverant, neglecta aurium delectatione. Quam licentiam in Hermesianacte vulgatissimam esse jam diximus. Sæpissime reperitur et in Empedocle, et in fragmentis Archestrati, atque interdum in ipsius Theocriti Idylliis tum pastoralibus, tum epicis. Callimachus vero exemplum Homeri constanter secutus est. Nam in omnibus Hymnis harum syllabarum quatuor tantum correptiones inveniuntur; ex quibus duo in Hymno ad Cererem, qui Dorice scriptus est, ac facilius eam licentiam posse pati videtur.

Jam vero numerum et circuitus verborum nemo est qui elegantiores reddiderit, aut sedulo magis elaboraverit. Docta enim tum dactylorum et spondæorum, tum brevium aut longarum cæsurarum temperatione, tum denique phrasis intercisione aut productione, graves vicissim levesque numeros efficit, prout materia postulat. Ad res autem verborum sono depingendas maxime aptus callidusque videtur. Cujus artis multa exempla afferre possem; nempe non in uno aut altero loco tantum inveniuntur, sed perpetua sunt. Hos tantummodoversus referam in quibus poeta cudentes æra Cyclopas depingit.

..... Αὖε γὰρ Αἴτνη,
Αὖε δὲ Τρινακρίη, Σικανῶν ἕδος, αὖε δὲ γείτων
Ἰταλίη, μεγάλην δὲ βοὴν ἐπὶ Κύρνος ἄϋτει,
Εὖθ᾽ οἵγε, ῥαιστῆρας ἀειράμενοι ὑπὲρ ὤμων,
Ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν, ἠὲ σίδηρον,
Ἀμβολαδὶς τετύποντες, ἀτειρέα μοχθήσειαν.

(*In Dian.*, v. 58.)

Hæc certe priodus non ipsi Virgilio cedit(1). Illud verbum αὖε, tam scite repetitum, lugubrem dat sonum rei maxime convenientem; ῥαιστῆρας. ἀειράμενοι nisum eleganter exprimit; ἀμβολαδὶς τετύποντες mirum in modum sententiæ consonat : neque magis probaverim tam celebrata carmina :

Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.

Duplicatus etiam in ultima parte versus spondæus gravitatem affert maxime opportunam. Spondaico autem versu non semel Noster ad præparandas similes clausulas doctissime usus est.

Nihil arbitror post Callimachum in poetica Græca inventum, nihil in melius mutatum fuisse. Omnia ipse perfecit. Nam minime Hermanno assentior, etsi magistro in omnibus quæ ad metrum pertinent probatissimo, qui narrat Nonnum poetam, Theodosii aut Arcadii imperatoris tempore, hexametri Græci cor—

(1) Periodos isti quam referimus non inferiores reperies in *Hymno ad Dian.* (v. 129-136), in *Hymno ad Del.* (v. 171, sq.)

rectorem fuisse, eique suas leges fere ab omnibus post Homerum neglectas restituisse (1). Omnes autem istas quas refert regulas jam in Callimacho deprehendimus. Easdem deprehendisset ipse Hermannus, ut arbitror, si in sua epicorum recensione Callimachum non omisisset. Nam apud ceteros Alexandrinos, ab Arato ad Manethonem, stabiliorem disciplinam in poeseos epicæ tractatione non potuit quin animadverteret (2). Manifestius etiam novam artem perspexisset, si eam in ejus auctore et parente quæsivisset. Quam igitur Nonno gloriam tribuit, jure Callimachus pro sua vindicare posset. Laudatur enim ab eo Dionysiacorum auctor quod hiatus vitaverit, quod syllabas in cæsura non produxerit, quod vocales ante mutam cum liquida non corripuerit : in quibus rebus minime inventor judicandus est. Id unum Nonni proprium est, quod fere in omnibus versibus cæsura brevi utitur post tertium trochæum, ut est in eo versu :

Ζεῦ, σὲ μὲν Ἰδαίοισιν | ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι,

et fere nunquam penthemimerim admisit. In hoc autem mihi videtur peccasse : versus enim gravitatem brevium multiplicatione abstulit, et rhythmum effecit velut subsultantem. Multo prudentior fuit Callimachus, qui cæsuras utriusque generis miscuit, longarumque pondus levitate brevium modice temperavit.

(1) Hermann, *Orphica*, p. 690.
(2) Id., *ibid.*, p. 689.

De vitiis artis Callimacheæ.

Præstantissimæ sunt sine dubio illæ quas enumeravimus dotes, et Callimacho meritam docti artificisque poetæ famam pepererunt. Attamen non omnino vitiis tot virtutes expertes erant. Primum enim tam constans tamque assidua verborum numerorumque cura necesse erat sententias delumbaret. Idem et Isocrati evenerat; in quo persæpe accurato sermonis artificio occultatur rerum indigentia. Sic in Callimacho multa sunt quæ tantum eloquii concinnitate nitent, alioquin infirma aut communia. Argumenta plerumque vi et inventione carent. Ars enim per se ipsa placebat, neque auxilio sententiarum egere videbatur. Quorumdam etiam versuum totum in elegantia numerorum et in sono pretium est, ut istorum :

Ὃς μάχεται μακάρεσσιν, ἐμῷ βασιλῆϊ μάχοιτο·
Ὅστις ἐμῷ βασιλῆϊ, καὶ Ἀπόλλωνι μάχοιτο.
(*In Apoll.*, v. 26.)

Eadem elegantissimi sermonis consectatio obscuritatem quoque aliquando parit. Nam tot verba nova, aut detorta, aut apud veteres scriptores hinc inde quæsita, perpetuaque illa triti communisque dicendi generis vitatio laboriosum lectori et difficile opus præparant. Denique nimiam eruditionis ostentationem in pluribus locis vituperare licet. Grammaticæ enim studiosissimus, et antiquitatis diligentissimus investigator, poeticæ nonnunquam Callimachus scien-

tiam immiscet. Nunc etymologiam vocis versibus inserit; ut cum narrat *Omphalium* nuncupatum esse campum quemdam a Cydonibus, quod umbilicus Jovis infantis ibi ceciderit (*in Jov.*, v. 44). Nunc originem urbis aut populi refert; nunc regionis nominum mutationem; ut cum Liparen insulam *Meligunin* fuisse olim vocatam refert (*in Dian.*, v. 47).

Hæc et talia forsan Alexandrinis jucunda videbantur : sed nos ea non immerito poeticis rebus parum congruentia judicamus.

Vitia in Elegiis pauciora.

Cum hæc vitia, sicut et virtutes, ex indole ipsa et studiis Callimachi orta sint, iis sine dubio nulla opera ejus vacua erant. Attamen in Elegiis fuisse pauciora vitia libenter crederem.

Elegiarum enim argumenta simpliciora erant atque eruditioni minus accommodata. Non omnino quidem in eis scientia aut grammatica abstinuerat; nam carmen de *Coma Berenices* quædam vestigia doctorum ejus studiorum servavit; et imitatores Callimachi Propertius et Ovidius ipsi docti sunt. Sed rariores quam in Hymnis occasiones peccandi invenerat: Hymni enim de omni vetere traditione sermonem habent; præterea id materiæ genus poetico spiritu maxime eget, et divina quadam inspiratione, qua carere Callimachum fatetur ipse Propertius ejus admirator :

Sed neque Phlegræos Jovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus.

Animi igitur impetum arte supplere debuit; atque ideo, si qua erant hujus artis vitia, necesse fuit magis apparerent.

Elegiæ autem materias Callimacho afferebant maxime ipsius ingenio congruentes. Ea enim operis forma brevitate quadam gaudet, sententiolisque modico verborum ambitu expressis. Nihil amplum, nihil grande sonans expetit. Quid autem nostri poetæ doctis artificiis magis aptum? Itaque Hymnum in Lavacra Palladis, qui elegiaco metro scriptus est, multi non immerito pulcherrimum judicaverunt. Namque rebus venuste dictis plenus est, descriptionibusque concinnis, quæ non plus duobus versibus continentur; ut est ea quæ Deam comitemque nympham in Hippocrenes lymphis se lavantes depingit (v. 71, 72); aut ea quæ Tiresiæ stuporem exprimit, postquam eum Pallas cæcum effecit (v. 83, 84). Accedit autem quod in Elegiis Callimachum mollem tenerumque fuisse aiunt. Quibus causis omnibus summum istius generis poeseos gradum obtinere debuit.

De Epigrammatibus et fragmentis.

Ob easdem quoque causas principem fuisse in Epigrammatibus Callimachum arbitror. Quid enim artificiis ejus magis favebat, quam sententiolas acuere,

easque efficere aut nitidas, aut vibrantes? Nullus igitur ex Alexandrinis in hoc genere ei gloria videtur præstitisse. Magna copia est Epigrammatum ejus quæ ad confirmandam hanc opinionem afferre possem, et ea quidem de rebus omnis generis tractantia; sunt enim satirica, amatoria, philosophica, sunt ad litteras, ad regum adulationem, ad mortuorum desiderium spectantia. Hæc omnia percurrere non patitur hujus scriptiunculæ modicissimus ambitus. Pauca igitur tantum attingam.

Ex omnibus istis poematiis præstantissima mihi videntur ea quæ in exprimendo amore versantur; quorum numerus etiam maximus est. Eadem eo majoris momenti ad cognoscendum Callimachum arbitror, quo magis elegiarum materiis vicina sunt. Quam vero Noster in iis concinnus, quamque venustus sit, nemini dubium esse potest qui ea legerit. Inter quæ præcipua notabo Epig. XXVI, XXXII, XXXIII, XLIII, XLIV, XLVI, XLVII, LVI (Ernesti). Duo ex his Latini imitati sunt. Quintus enim Catulus, vetus poeta, elegantissimam sententiam Epig. XLIII feliciter interpretatus est his verbis :

Aufugit mi animus, credo, ut solet, ad Theotimum.
    Devenit, sic est,.... etc.

Epig. autem XXXIII fere integrum vertit Horatius (lib. I, *Sat.* II, v. 105) :

..... Leporem venator ut alta
In nive sectatur,.... etc.

Amicitiæ non magis quam amori alienus fuisse videtur Callimachus : nam in quibusdam Epigrammatibus amicorum mortem simpliciter et vere commoto animo luget. Quorum affectuum exempla reperies in Epig. II, X, XV, XVIII, XXVIII. Nonnunquam et in dolenda defunctorum sorte, et in virtute laudanda, graves sententias nobilesque nactus est, præsertim in Epig. XXVIII, et in Epig. X, in Saonem, cujus verba ipsa referam :

Τᾷδε Σάων ὁ Δίκωνος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
Κοιμᾶται. Θνάσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς.

De aliis Epigrammatum generibus taceo, quanquam multa quoque excerpi possent laude dignissima : sed nihil novi ad quæstionem propositam afferrent.

In fragmentis autem, quæ numerosissima supersunt, nonnulla etiam suavissimæ elegantiæ vestigia deprehendimus. Nunc enim teneros sensus, nunc tristes, nunc vehementer expressos, nunc etiam unum verbum lepide dictum, aut novum, hic et illic passim invenies. Ex quibus non prætermittenda sunt primo frag. CVI, quod ex elegis decerptum omnes critici, ob venustatem et concinnitatem ejus, judicaverunt; deinde frag. XI, CXI, CXXVI (Ern.). Reliquiarum etiam istarum brevissimæ interdum aliquid offerunt quod animadvertas : ut est ea sententia :

..... Ἐπεὶ θέος οὐδὲ γελάσσαι
Ἀκλαυστὶ μερόπεσσιν ὀϊζύροισιν ἔδωκε. (*Frag.* CDXVIII.)

Eaque exclamatio, quæ apud Latinos amplificata non semel reperitur :

Ὡς ἡδὺ τὴν θάλατταν ἀπὸ τῆς γῆς ὁρᾷν,
Ὦ μῆτέρ, ἐστι, μὴ πλέοντα μηδαμοῦ!
(*Frag.* CDXXV.)

Hæc vero *poetæ disjecti membra* Callimachum ostendunt non semper circa verba tantum sudavisse; sed etiam in exprimendis affectibus nunc delicatum, nunc et gravem fuisse. In Elegiis eas virtutes sine dubio plane agnovissemus, nisi hæc carmina tempus omnino abolevisset. Sed, quamvis pars ejus melior perierit, ex his quæ supersunt licet concludere neminem dicendi solertia et elegantia versificandi perfectiorem apud Græcos exstitisse; ideoque Latinorum vatum sententiæ, qua summi artificis laudem adeptus est, facile omnes accessuros arbitror.



CAPUT IV.

DE SIMULTATE CALLIMACHI ET APOLLONII.

De causa simultatis.

E simultate Callimachi et Apollonii percipere etiam multa licet, quæ ad quæstionem propositam conducunt, atque aperte demonstrant tum novam vere disciplinam ad condenda carmina in Museum esse a Nostro importatam, tum ejus auctoritatem jam apud Alexandrinos maximam fuisse, cum Apollonius florere incepit. Hæc autem simultas nemini ignoratur. Sciunt enim omnes duos illos poetas, cujus alter alterius discipulus erat, mutuis odiis adeo exarsisse, ut Callimachus adversus Apollonium maledicentissimum librum, nomine *Ibin*, ederet, Apolloniusque, infamiam non ferens, voluntario exilio se Rhodum conferret. Sed causam hujus dissensionis diverse interpretantur. Plurimi enim crediderunt privatam hanc fuisse inimicitiam, et, prout uni aut alteri faverent, rem in contrarium

judicavere. Apollonius tamen, utpote graviora passus, criticorum misericordiam sæpius commovit; ideoque contenderunt juvenem egregium a factione Callimachea fuisse per invidiam oppressum, quod ejus magister æmulum timeret.

Ego vero arbitror simultatis originem nullam aliam fuisse, quam quod ambo diversam rationem in arte poetica sequerentur. Similes controversias Alexandriæ frequentes fuisse monet ipsum Phliasii Timonis epigramma quod retulimus, ubi Musei incolas deridet ille *sine fine prœliantes*. Namque iræ facile in hunc eruditorum poetarum gregem irrepebant; ac, si a Flacco *vatum genus* semper existimatum est *irritabile*, in hac præsertim urbe esse debuit, ubi perpetuo contactu læderet quemque ceterorum fama et celebritas. Hujus igitur modi certamen inter Apollonium et Callimachum ortum est, ceteris famosius.

Celeberrimus est Callimachi locus de ea dissensione, in Hymno ad Apoll. (v. 105, sq.), ubi Invidiam fingit tentantem ab ipso Phœbi benevolentiam abalienare :

Invidia hæc Phœbi furtim instillavit in aurem :
« Vatem non miror, qui non tot carmina fundit,
Quot fluctus volvit pelagus ». « Pede Phœbus iniquo
Reppulit Invidiam : « Decursus labitur ingens
Fluminis Assyrii, dixit; sed sæpius imo
Illuviem fœdam limumque in gurgite volvit.
Non quovis Cereri castæ de fonte ministræ
Dant potum; sed grata ferunt libamina, sacras,
Quæ manant modico puræ de flumine, lymphas. »
Salve, magne Deus! pereat male livida lingua!

Scholiastes ait hæc verba adversus inimicos Callimachi intenta esse, qui eum tanquam magno operi imparem maligno dente carpebant. Quamvis Apollonius ibi non nominetur, nemini dubium esse potest quin de ipso agatur in hoc loco, quippe qui unus ex inimicis Nostri longum poema effecerit. In versibus autem quos retulimus multa sunt notanda. Primo enim Callimachus artis suæ rationem omnem aperte demonstrat : nam illimis illa lympha, quæ Cereri placet, ipsius poesis est, parce quidem fluens, sed quæ nitidissima et purissima existimabatur. Deinde diversam quorumdam proferri palam opinionem declarat, qui, spretis novis studiis, epicarum fabularum longas narrationes, negligenter interdum scriptas, modici carminis perfectæ elegantiæ præferebant. Hujus adversus Callimacheam doctrinam rebellionis signifer Apollonius erat; tum enim juvenis, atque in se aliquid ingenii esse sentiens, disciplinam magistri ægre ferebat. Offendebant eum *limæ labor* et *mora*. Primis igitur annis grande epos tractare aggressus est, atque *Argonautica* sua adolescens adhuc, ut aiunt ejus vitæ scriptores, edidit ac recitavit (1).

Hoc carmen sine dubio jam notum erat, cum Callimachus Hymnum ad Apollinem scripsit. Ex ejus verbis apparet juvenem auctorem præcipue cura et elegantia caruisse. Cujus vitii causam fuisse auguror

(1) Τοῦτον λέγεται ἔτι ἔφηβον ὄντα ἐπιδείξασθαι τὰ Ἀργοναυτικὰ καὶ κατεγνῶσθαι. (E script. vitæ Apoll. — *Argonautica*, ed. Wellauer, t. I).

in imitatione dictionis Homericæ parum prudenti. Homeri enim vestigia nemo est qui constantius secutus sit quam Apollonius. Duas Argonauticorum editiones eum fecisse constat. Nam, dum Rhodi exularet, suum opus incudi reddidit, atque emendatum et perpolitum, Alexandriam reversus, iterum in publicum protulit. Quamvis vero primæ editionis nonnulla in scholiis et forsan in ipso poemate vestigia passim agnoscantur, ut scite demonstravit Gerhardius (1), tamen nemini dubium unquam fuit quin secundam fere omnino integram hodie habeamus. Homeri autem imitatio in ea ipsa perpetuo deprehenditur. Fere omnia verba ex Iliade desumpta; nulla inventa aut callide et docte juncta. Itaque raro a grammaticis Apollonius citatur. Interdum etiam quædam nimis trita, et quæ usu vulgaria facta erant, admisit; quæ Callimachus semper respuit. Talia sunt Homerica ea epitheta :

Εὐπλόκαμος, ἠΰκομος, de Nymphis aut de Deabus dicta (I, 976; IV, 568);
Ὀλοόφρων, ἀμύμων, πολύμητις, de bellatoribus (IV, 828; III, 190; I, 851).

Tales quoque sunt clausulæ istæ versuum, in Iliade et Odyssea tam frequenter satiateque repetitæ :

Νόστιμον ἦμαρ (IV, 1275);
Πατρίδα γαῖαν (III, 1136);
Πνοιῇς ἀνέμοιο (I, 1013);
Αἱμυλίοισι λόγοισι (III, 1141);
Ἐν δέ οἱ ἦτορ (IV, 169, 1066).

(1) Lectiones Apollonianæ, Lips., 1816, p. 3, sq.

Denique enumeratio Argonautarum, quæ est in primo libro, Trojanorum apud Homerum enumerationem exactissima imitatione exprimit, ita ut ex centonibus Homericis fere constare videatur.

Quod si vero in secunda illa editione, quam elegantiorem et Alexandrinæ indoli magis accommodatam efficere conatus est Apollonius, imitatio Homeri interdum vitiosa videri potest, verisimile est in prima, quam juvenis publicavit, vitium illud frequentius etiam apparuisse. Rudem sine dubio et antiquam Ionici vatis simplicitatem novus auctor nimis exacte exprimere voluerat; ad poesim istam cyclicorum nimium facilem, spretis recentioribus exemplis, rursus delabi videbatur. Quod equidem clare significari arbitror ea lutulenti fluminis comparatione, qua utitur Callimachus. Noster enim talibus discipuli sui ausis vehementer offendi debuit, utpote Alexandrini Parnassi dux et moderator; præsertim cum ipse carperetur, et sterilitatis insimularetur, quia longa poemata improbaverat. Huic calumniæ digne respondit : nempe Hecalen composuit, ut scholiastes refert, in interpretatione ejusdem loci quem retulimus (1). Hecale quidem non epicum poema fuit, sed modicius quoddam compositionis genus, attamen satis longum, ut inde Callimachus vim inveniendi suam ostenderet, et quomodo epica sibi tractanda esse viderentur declararet.

(1) Ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην. (Hym. ad Apoll., *Sch.*, v. 106.)

De hujus simultatis exitu.

Quam multos jam eo tempore fautores haberet apud Alexandrinos doctrina Callimachi, docet simultatis exitus. Apollonii poema sibilis exceptum fuit, non tam forsan ob ipsa ejus vitia, quam quia auctoris opiniones de arte poetica displicebant. Neque a factione tantum Callimachea explosum fas est dicere. Omnes enim cives, omnesque poetæ novum scriptorem condemnaverunt, ita ut in insulam Rhodum confugisse ea causa dicatur, *quod publicam infamiam ferre non posset* (1). Nulla enim privata inimicitia adeo molesta fuisset, ut cogeret eum patriam deserere quam amabat, quamque revisere postea gestiit. Sed universæ urbis odia intenta in eum esse putandum est, ut ad consilium tam grave impelleretur. Quid autem Callimachi apud Alexandrinos auctoritatis majus manifestiusque testimonium potest inveniri ?

Hoc publico judicio Noster non contentus fuit. Nam adversus Apollonium *Ibin*, ut diximus, composuit. Utrum vero postquam ille profectus esset, an prius, utrum novis calumniis lacessitus, an ira tantum impulsus hoc carmen emiserit, incertum est. Ferunt solummodo grammatici opus ipsum contumeliosum fuisse, et quam maxime obscurum (2). Hanc

(1) Μὴ φέροντα δὲ τὴν αἰσχύνην τῶν πολιτῶν, καὶ τὸ ὄνειδος καὶ τὴν διαβολὴν τῶν ἄλλων ποιητῶν, καταλιπεῖν τὴν πατρίδα (λέγεται). (E scriptorib. vitæ Apoll., *ib.*)

(2) Suidas, *in Callim.* — Clemens Alexandr. *Strom. V, loc. cit.*

opinionem confirmat Ovidius, qui in *Ibide* sua Callimachum imitatus est :

> Utque ille, historiis involvam carmina cæcis,
> Non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.

Si ex Latino poemate quid fuerit Græcum conjectare licet, non magno quidem nobis damno ejus jactura est. Ovidii enim Ibis nihil nisi indicem omnium suppliciorum offert, longamque tabulam omnium generum necis, quæ in veteribus fabulis reperiuntur, quæque auctor in caput inimici, quem Ibidem vocat, casura exoptat. Hæc certe satiræ forma omnino nova et insolens est; sed eruditis viris conveniebat; et, quamvis nobis putida videatur, tamen Alexandrinis placere potuit.

Qua causa autem Callimachus hoc nomine Ibidis Apollonium designaverit, multi quæsivere. Sed cum nihil certi aut quod ad quæstionem nostram conducat repererint, de opinionibus eorum loqui supersedeo. Nam alia incidit controversia, de qua disserere magis operæ pretium esse mihi videtur.

De tempore quo simultas illa exstiterit.

Quo tempore nostrorum poetarum simultas orta sit, fere incertum ad hanc diem judicatum est. Eos Philadelpho regnante dissedisse nonnulli critici false affirmaverunt (1), videlicet eo inducti, quod Apollo-

(1) Vid. præsertim Ritschl, *Chronolog. der Biblioth.*, p. 90.

nius dictus est juvenis Argonautica composuisse. Putat etiam *Matter* eumdem ante mortem Philadelphi jam e Rhodo Alexandriam reversum, atque in Museum admissum esse (1). Quam opinionem fabella quadam de Sosibio grammatico apud Athenæum reperta, ubi inter alios Musei incolas Apollonius nescio quis nominatur, satis confirmatam esse credidit (2); levissima mehercule auctoritate! Nam in ipso Athenæo Ἀπόλλων, non autem Ἀπολλώνιος legitur. Sed, etiamsi *Apollonius* legi deberet, quid inde? Multi apud antiquos fuerunt Apollonii nominati; nec satis etiam ipsa fabella certa est, ut inde quidquam inferre possis.

Ego vero arbitror Callimachum a discipulo, incipiente Evergetæ principatu, provocatum esse. Hymnus enim ad Apollinem, in quo eum causam suam agentem vidimus, regnante Evergeta scriptus est, testante scholiasta (3); neque verisimile est versus quos retuli diu post inceptam controversiam fuisse compositos; alioqui *nunc non* esset *his locus*. Præterea, cum Callimachus a Philadelpho maxime probaretur, minime opportunum fuisset eo tempore opinionibus ejus adversari, nam simul regis judicium offendi poterat. Novus autem principatus incipiens optima occasio ad obscurandam veteris poetæ famam videbatur.

Denique adolescens adhuc esse debuit Apollonius,

(1) *Hist. de l'école d'Alex.*, t. I, p. 165.
(2) Athen., lib. XI, sect. 85.
(3) Hymn. ad Apoll., v. 26.

cum Evergetes regnare incepit. Ait enim Suidas eum in administranda Bibliotheca successisse Eratostheni, qui in Ol. CXLVI decessit, regnante Epiphane. Quod si eo tempore Apollonium circiter LXV vel LXX annos natum esse faciamus (neque fas est seniorem facere, cum ad publica munera exercenda se accingeret), vicesimum fere, incipiente Evergetæ regno, annum egit. Itaque opus suum primis hujus regni temporibus edidit. Neque Callimachi ipsius ætas huic interpretationi repugnat. Namque antea jam docuimus eum sub Evergetæ principatu non solum vixisse, sed etiam poemata multa composuisse : sola enim mors ejus laboribus finem videtur imposuisse. Si quis autem miretur quod senescentem virum tot carminum auctorem fecerim, memor esto poeticas ejus virtutes totas ex arte pendere, quæ ipsa non senescit, imo in dies fit usu accuratior et perfectior. Monet nos et Callimachus sese ætate provectum versus facere, in Epig. XXII, cujus primam partem retuli, cum de vita ejus loquerer. Nam postquam triumphum de invidia egisse gloriatus est, addit :

Quos olim pueros vultu aspexere benigno,
Non illos Musæ deseruere senes.

Arbitror etiam eos acceptissimi apud Alexandrinos poetæ cantus ultimos iram adversus obtrectatorem ejus Apollonium auxisse, quam ipsius infelix epicarum materiarum tractatio jam suscitaverat.

De reditu Apollonii.

Attamen id dissidium, sicut omnes humanæ res, finem habuit. Magnam famam apud Rhodios adeptus, emendato poemate, Alexandriam reversus est Apollonius, et magno favore exceptus dicitur. Maximos, quibus gaudebant hujus temporis docti, honores obtinuit; nempe in Museum admissus, et postea Bibliothecæ præpositus fuit. Addit unus e scriptoribus ejus vitæ eum in eodem atque Callimachum tumulo esse sepultum. De hac sepulturæ communione multi dubitaverunt; quæ iis post tam famosam inimicitiam parum verisimilis videtur (1). Ego vero rem non magnopere mirer. Nonne enim fieri potuit ut Musei incolæ, saltem eorum celeberrimi, in publicis tumulis sepelirentur? Mos erat Ægyptius in easdem sepulturas reges, sacerdotes, illustres quoquo modo viros conducendi. Simile aliquid a Ptolemæis in urbe sua potuit admitti; ita ut non ex meditato consilio, sed potius honoris causa, ambo poetæ in eodem tumulo conditi essent.

Quomodo autem in gratiam cum Alexandrinis redierit Apollonius, ex ipsis Argonauticis conjicere possumus. Secundam enim, quam habemus, editionem sui temporis indoli et judicio, quantum patiebatur proprii ingenii natura, accommodare voluisse mihi videtur. Licet enim Homeri semper imitator, ta-

(1) Gerhard, *Lect. Apoll.*, p. 7.

men in dicendo et in versificando purus et elegans est; Alexandrinam doctrinam et artem in eo facile agnoscas. Callimachum etiam ipse imitari non interdum dedignatus est; unumque versum referunt scholiastæ quem a Cyrenæo vate integrum est mutuatus (1).

Istæ autem imitationes criticorum judicium magnopere exercuerunt. Capere enim vix possunt qua causa Apollonius inimici carmina imitatus sit. Diversissimis igitur modis rem explanare frustra tentaverunt. Weichertus, Apollonii adversus Nostrum patronus, spretis grammaticorum testimoniis, has negat imitationes fuisse; fortuitam similitudinem esse contendit (2). — Verum duos versus Hecales, quæ post dissentionem poetarum composita est, imitatus Apollonius deprehenditur (3). Singularis plane et admiranda esset talis similitudo, si fortuita judicaretur! Quidni autem illum putemus imitandi conscium fuisse? Equidem eum facile arbitror his imitationibus ostendere voluisse sese ad doctrinam Callimachi esse reversum. Quamvis enim Noster mortuus fortasse esset, cum ille Alexandriam rediit, vigebat adhuc ejus in Museo disciplina, quam tuebantur discipuli Aristophanes et Eratosthenes, homines eo tempore doctissimi. Erat autem necesse, ut Apollonius in

(1) Argon. I, 1309, *Schol.*, Καλλιμάχου ὁ στίχος.

(2) Weichert, p. 56.

(3) Confer inter se hinc Apoll. *Argon.*, I, 972, III, 277: inde Callim. *Fragm.* 44, 46 (Ern.); quibus locis imitationes istæ ab omnibus criticis notatæ sunt.

gratiam reciperetur, jam sese ab eorum opinione non dissentire demonstraret. Quanam vero ratione melius se purgare poterat, quam eum ipsum, quem primum obtrectaverat, imitando? Meminisse enim semper decet eam simultatem potius litem inter litteratos fuisse quam inter privatos inimicitiam. Quod si uterque in adversarium contumeliosa dicta intorsit, hunc sæpe eruditorum inter se dissentientium morem fuisse audivimus. Sed postquam ira deferbuit, Apollonius, judicio populi admonitus, ceterorumque poetarum opinionis factus certior, agnovit se graviter erravisse. Ea de causa, ut opinor, Argonautica sua emendavit, ita ut scriptor non valde Callimachi dissimilis esse videatur.



CAPUT V.

—

DE ARTIS CALLIMACHEÆ FORTUNA.



De Græcis poetis Callimacheæ artis fautoribus aut imitatoribus.

Quemadmodum documento est ipse Apollonius quam popularis ab initio fuerit ars Callimachi, ita ceteri ejusdem ætatis poetæ qui supersunt scriptis suis ostendunt nova illa studia universo in honore fuisse. Namque ea non solum in urbe Ptolemæorum dominabantur, sed in tota Græcia vigebant. Vates enim nonnulli, ut diximus, sunt Alexandrini nominati, qui in Ægypto non vixerunt, sed placitum in Museo scribendi genus assumpserunt. Quippe Alexandrinorum judicium factum est brevi quasi communis dicendi norma ; Ptolemæorum civitas, sicut Athenæ

prius, litterarum domicilium fuit : huc conveniebant illustrissimi omnium regionum viri ; hic regum principumque suffragia quærebant, atque ideo quod ibi probabatur sibi expetendum existimabant.

Inter omnes Ptolemaicæ ætatis scriptores, primus, post Apollónium, vocandus est in testimonium Lycophron, Callimachi in Museo collega, *Cassandræ*, tenebrosi poematis, famosus auctor. Nullus autem videtur Genio sæculi plus eo litavisse ; nam totum se fabularum pelago immersit. Quodcumque in Cyrenæo vate notavimus, amplificavit in pejus. Eloquium enim ejus non solum doctum et exquisitum, sed putida eruditione plenum est. Insolentibus dictis fabulosisque sententiarum ac verborum tormentis usque ad fastidium utitur : fuit igitur etiam apud antiquos obscuritate celeberrimus. Ipsa vero ejus intemperies mirum in modum probat quam prospera doctrinæ Battiadis fortuna fuerit. Talis enim omnium animorum ad erudita carmina inclinatio erat, ut interdum hoc genere dicendi Lycophronis delectarentur. Erat unum aut alterum Callimachi opus quod Cassandræ simile fuisse fertur ; verum is in præcipuis poematibus tam ridiculum vitium plerumque vitavit. Lycophron autem hanc obscuritatem amare ac sedulo exquirere semper videtur.

Forsan non tam severum de eo judicium ferremus, si cetera ejus scripta superessent. Dicitur enim in tragœdiis non fuisse contemnendus, atque in gemina Alexandrinorum vatum Pleiade locum habuit. Is quoque in Bibliothecam cum Alexandro Ætolo et Zenodoto ad recensenda poemata

Græca a Philadelpho vocatus est, ut scholion Ritschelii refert (1), provinciamque habuit comœdias omnes in unum colligendi atque in ordinem redigendi. Attamen cum *Cassandra* sæpissime a veteribus laudata fuerit, eam conjicere licet unum ex præcipuis hujus auctoris operibus fuisse; ideoque ipse non solum æmulus artis Callimacheæ, sed etiam pravus imitator judicandus est.

Cum Lycophrone et Apollonio soli ex Pleiadibus supersunt Theocritus, Aratus et Nicander, quorum opera habemus, si non integra, at saltem satis longa ut eorum virtutes et vitia probabiliter perpendamus. Tres autem illi a grammaticis, sive antiquis, sive recentioribus, in hanc Pleiada recepti sunt, quæ poetas omnis generis complectebatur (2) : quamvis enim in Museo non habitarent, similitudine studiorum vere sunt Alexandrinis adnumerandi. Duo primi æquales Callimachi videntur ; namque aulam secundi Ptolemæi, cum jam insignes essent, inviserunt; Nicander, paulo recentior, Aristarchi temporibus vixit.

Theocritus quidem ex omnibus Alexandrinis

(1) Ritschl, p. 3.

(2) *Pleiada poetarum omnis generis*, a Tzetze nobis traditam, nusquam in grammaticis veteribus exstitisse satis probabiliter arbitrantur Weichertus et Næckius, eamque putant a Tzetze ipso per ignorantiam fuisse pro tragica acceptam. « Nimirum, ait Næckius, pro tragicis ipsi ignotis bonus homo poetas ingessit in Pleiadem infantibus notos Theocritum, alios. » (V. Weichert, *Ueber das Leben....*, p. 89).

maxime sui juris mansit. Argumenta enim quæ tractavit plerumque nova erant, licet ea quoque in genere tenui ac subtili versentur; ideoque insigniorem aliquam laudem consecutus est. Sed in illo, æque et in ceteris ejus seculi, exquisitissimum dicendi genus reperias. Verborum enim delectum summa cum cura ac diligentia efficit; ex Alexandrina doctrina quidquid optimum erat sumpsisse, quidquid vero putidum aut nimis eruditum, reliquisse videtur. Ea scribendi ratio præsertim in pastoralibus Idylliis apparet; nam cetera, quæ epica dicuntur, facilius, meo judicio, at negligentius scripta sunt, eoque tempore composita esse arbitror, quo juvenis adhuc auctor genus quod sibi conveniret non invenerat. Tum etiam fortasse magistrum Philetam imitabatur, quem simpliciori stilo diximus usum esse. Sed postea, vel proprio judicio, vel potius ceterorum hujus ætatis poetarum exemplo ductus, accuratiorem elocutionem consectatus est. Namque ei multis in rebus cum Callimacho similitudo est. In utroque idem studium animadvertere licet quidquid obsoletum est vitandi, atque omnia nova dicendi. Ambo ad minutarum rerum descriptionem aliquando descendunt; ambo propriis nominibus sæpissime ad ornandos versus utuntur. Quarum rerum multa exempla ex Callimacho retuli; nec certe pauciora ex Theocrito referre possem, nisi lectori facilior esset ea disquisitio. Denique longa poemata odisse videtur et ipse Theocritus, novosque imitatores Homeri vituperavisse. Sunt enim in septimo ejus Idyllio versus quos recte possis in Apollonium atque in Argonautica intentos credere :

Artificem sperno, profitentem attollere muros,
Queis apicem montis summum Oromedontis adæquet;
Odi et Pieridum comitem, qui gutture rauco,
Irrita conatus, cum grandi certat Homero (1).

Aratus et Nicander magis etiam nobis ostendunt quantopere apud Græcos omnes ars Alexandrina accepta fuerit. Ambo enim, quanquam unus in Macedonia, alter in Asia degerunt, adeo Alexandrinum colorem duxere, ut vere eos Callimachi discipulos diceres.

Arati materia, eruditione et scientia plena, maxime Ægyptiis ingeniis placere debuit; quippe quæ jam ab uno ex celeberrimis Musei poetis, Alexandro Ætolo, tractata eodem tempore feratur (2). In descriptione illa siderum, ut ait Quintilianus, *motu caret* Solensis vates; plerumque aridus et exilis est. Sed, si in illo non poetam, sed conditorem versuum quæras, delectum verborum semper optimum invenies, ambitum orationis scite finitum, metrum severum, numeros ad delectationem aurium feliciter modulatos, denique docta omnia a grammaticis nobilitata artificia. Quas virtutes in eo Callimachus laudabat. Arati enim eloquium λεπτόν, id est subtile ac delicatum vocat; atque auctorem ipsum Hesiodi callidum imitatorem judicat, in isto quod superest ejus epigrammate :

(1) Theocr. *Idyll.* VII, v. 45. — Cf. *Weichert*, p. 39, ubi hic locus illustratur.

(2) Meineke, *Analecta Alexandrina*, p. 241.

Est hic Hesiodi stilus, hæc sunt verba; poetam
Non pravum, sed quo nullus, Arate, magis
Mellifluus, sequeris. Salve, subtile poema,
Docta limatum, nocte dieque, manu (1)!

Quod testimonium sæpe veteres confirmavere : namque Aratus ob accuratum dicendi genus semper probatus est; ac Latini poetæ ter eum in suam linguam verterunt. Valde enim delectabat veteres ea in seligendis componendisque verbis constantissima elegantia, iique versus compti et ad unguem perfecti. Istæ autem virtutes nostras aures plerumque fallunt.

Nicander didascalicum genus illustravit, ut Aratus, cujus imitator esse videtur. Sed subtiliora etiam argumenta plerumque tractavit, et scientiæ viciniora. Nam, præter ejus *Theriaca* et *Alexipharmaca*, quæ habemus, aridissimas omnium materias, carmen, ut de ceteris taceam, feceret de *Glossis*, a grammatica non jam artificia orationis, sed ipsum argumentum et summam operis mutuatus. Itaque in eo jejuniosiorem etiam quam in Solensi vate poeticam vim invenias. Sed eamdem versificandi industriam adhibet, iisdem stili artificiis utitur : spiritus ei plerumque deficit, at nunquam labor et cura deficiunt. Studium vero illud accurate dicendi eo magis notandum, quo materia minus versum patitur : vere enim meditatam artem

(1) Call. *Epig.* XXIX.

ostendit. Quam autem dissimilis fuerit, in didascalicis, eorum auctorum ratio, qui ante Ptolemaicam ætatem scripserunt, facile intelliges, si Nicandri aut Arati versus cum fragmentis Archestrati Geloi conferas, qui temporibus Alexandri Magni vixit, carmenque fecit de *Opsoniis*, ab Athenæo illustratum sæpissime et celebratum. Ex quo, exempli gratia, hunc locum de *apro emendo* referam :

Αὐτὰρ ἐς Ἀμϐρακίαν ἐλθὼν, εὐδαίμονα χώραν,
Κάπρον ἐὰν ἐσίδῃς, ὠνοῦ, καὶ μὴ κατάλειπε,
Κἂν ἰσόχρυσος ἔῃ, μή σοι νέμεσις καταπνεύσῃ
Δεινὴ ἀπ' ἀθανάτων · τὸ γάρ ἐστιν νέκταρος ἄνθος.
Τούτου δ' οὐ θέμις ἐστὶ φαγεῖν θνητοῖσιν ἅπασιν....

Quam negligenter hæc dicta sint quis non videt? Καὶ μὴ κατάλειπε prosæ est orationis ; correptio mediæ syllabæ in vocabulis ἰσόχρυσος, καταπνεύσῃ vitiosa est; verbum ἔστι parvo intervallo bis repetitum displicet; denique compositio verborum nec apta nec finita videtur. Tale dicendi genus post Callimachum nusquam reperias.

Multa alia prosperi Callimacheæ artis successus testimonia haberemus, si omnium Alexandrinorum poemata superessent; quæ pleraque periere. Namque Alexandri, Euphorionis, Rhiani ac ceterorum paucissimæ, quas habemus, reliquiæ, veterumque de ipsis judicia hos poetas omnes ostendunt esse ex eadem disciplina profectos.

Primum enim Alexander Ætolus, unus ex septemviris tragicæ Pleiadis, æqualis Callimachi ac Musei

incola, elegias composuerat, quarum fragmenta quædam apud Parthenium invenimus, elegantissime scripta, quæ in veteribus quoque fabulis versantur. Idem, ut jam diximus, *Phænomena* cecinerat.

Euphorion Chalcidensis, qui Rhodii Apollonii temporibus vixit, Antiochi regis bibliothecarius, obscuritate apud grammaticos non minus famosus erat quam ipse Lycophron (1). Cujus vitii causas Meinekius in perpetua ejus reconditæ doctrinæ ostentatione atque in verborum ignotorum usu deprehendit (2).

Rhianus Cretensis, ejusdem ætatis epicus vates, minus notus est. Tamen eum non valde Euphorioni fuisse dissimilem testatur Tiberii imperatoris judicium, hominis imprimis involuti sermonis amantissimi qui duos illos scriptores in deliciis habuisse a Suetonio fertur (3), atque instar eorum Græca carmina composuisse.

Eratosthenes, Callimachi discipulus, quanquam severioribus artibus præsertim studens, poemata quoque scripserat; in quibus quantam curam dicendi et elegantiam versificandi, instar magistri, quæsiverit, monet Longinus, qui *Erigonem* ejus omni reprehensione carere affirmat (4).

Inter tot nomina non prætermittendi sunt Bion et Moschus; quorum de ætate critici non conveniunt,

(1) Clemens Alexand., *Strom., loc. cit.*
(2) Meineke, p. 35.
(3) Suet. *Vit. Tib.*, c. LXX.
(4) Long. Περὶ ὕψους, sect. 33.

sed qui certe post Theocritum vixere; nam in eis manifesta ejus poetæ imitatio apparet. Similia argumenta sectantur; similibus utuntur artificiis. Sed a simplicitate Theocriti multum degeneravere; subtiliores enim sententias, ornatum plus æquo comptum et nitidum, denique elegantissimam luxuriem in eorum descriptionibus sæpe deprehendas. Quæ omnia Alexandrinam doctrinam nimis fortasse ostentant.

Meinekius Alexandrinis quoque poetis adjungit Parthenium Nicænum, etsi recentiorem, qui Ptolemæi Auletæ temporibus floruit (1). Eo enim, sicut Euphorione et Rhiano, delectabatur Tiberius; ita ut germanus eorum videri possit. Nam fertur Elegias scripsisse, quorum tituli omnes ex veterum fabularum nominibus sumuntur. Cetera quæ attigit, præsertim *Metamorphoses*, jam tractatam a Nicandro materiam, ab eodem fonte hauserat. Denique in scripto ejus quod superest, Περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων, multos passim versus ex Alexandro Ætolo et Euphorione excerpsit, quos videlicet homines maxime probabat.

Alia autem causa notandus est nobis Parthenius. Nam in Italiam, expugnata ejus patria, adductus, Neapoli grammaticam docuit, ubi Virgilii magister fuit. Itaque, finiente Ptolemaica ætate, jam novos Alexandrinorum vatum discipulos invenimus, eosdemque omnibus, qui ante fuerant, multo illustriores, Romanos. De his igitur disserendi locus est.

(1) Meineke, p. 259.

De Latinis poetis Callimacheæ artis heredibus.

Postquam Romani in Græciam Asiamque transcenderunt, regnaque et civitates earum regionum in potestatem suam redegerunt, brevi multi grammatici in Italiam venere, scholasque Romæ, et in ceteris urbibus imperii aperuere, ubi victæ gentis artes victorem populum docerent. Eorum plerique Alexandrinorum discipuli erant; quippe Alexandria in grammaticam ac poeticam imperium exercebat, sicut Athenæ philosophiæ atque eloquentiæ principatum servaverant. Ii etiam nonnunquam grammatici una et poetæ habebantur, sicut Parthenius fuit. Omnes autem Latini poetæ, qui in eo sæculo, quod vere auream litterarum ætatem nominare licet, vixere, a Catullo ad Ovidium, artem suam apud grammaticos illos didicerunt, excepto forsan Lucretio. Alexandrinos igitur scriptores, Callimachum, Apollonium, Aratum, et ceteros in manibus quotidie habuere; atque illos in versificando magistros et duces secuti sunt. Eosdem sæpe in Latinum verterunt, nihil utilius rati, quam si hac tam difficili exercitatione ad eorum exemplar stilum suum fingerent, et rudem adhuc Romanam linguam tot doctissimorum artificiorum frequenti usu Musis tractabilem redderent.

Nullus est hujus ætatis auctor, in quo Alexandrinorum imitationem deprehendere non liceat. Catullus primo Callimachi vere discipulus est, ut jam diximus in exordio hujus scriptiunculæ. Scimus

enim quomodo de eo loquatur, quomodo ejus celeberrimum carmen sit interpretatus, denique quomodo instar ejus peritissimus artifex verborum factus sit. Mirari satis non possum qua solertia Latinum versum, qui in Ennio et in æqualibus ac successoribus ejus adhuc informis apparet, docilem, elegantem, comptum effecerit, atque ad exprimendas omnis generis sententias idoneum. Quis autem infitias ibit quin ei laudem illam perpetuum cum Callimacho commercium pepererit?

Floruerunt simul cum Catullo alii Alexandrinorum imitatores, inter quos præcipui feruntur Calvus, Valerius Cato, Varroque Atacinus, qui Apollonii Argonautica interpretatus est. Eo etiam tempore multi viri privati vel publici carminum artifices fuere; qui præceptis Græcorum grammaticorum imbuti, poetarumque, qui tunc maxime placebant, lectione pleni, otia sua in doctis occupationibus consumebant. Unum ex his jam retulimus, Q. Catulum, qui epigrammatis Callimachi elegantissimam sententiam imitatus est. Illorum autem omnium celeberrimus fuit Cicero, qui et ipse in poetica fuit Alexandrinorum discipulus. Namque, quanquam Athenas inviserat, scholasque Atticas frequentaverat, tamen, cum ad fingenda carmina se accinxit, leges ab Ægypto, sicut ceteri, accepit. Primas etiam materias, quas juvenis tractavit, inde sumpsit; Latinis enim versibus Arati Phænomena reddidit et Prognostica. Exemplaria quidem, quæ imitanda sibi proposuerat, non est assecutus; nam versus ejus potius oratorio quam poetico stilo exa-

ratos diceres : tamen ad illos quasi communes Romanorum vatum magistros sese conformare, quantum poterat, conatus est. Cum vero, ætate jam maturus, ad priscos poetas, Ennium Pacuviumque, reversus est, nemo eum est secutus; et dolet ipse quod antiqui vates præ novitiis illis Ægyptiacæ scholæ scriptoribus, despiciantur. Ait enim de Ennio in Tusculanis (lib. III, 19) : « O poetam egregium, quanquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur! »

Jam vero, si ad Augusti tempora transeamus, manifestior etiam apparebit Alexandrinorum imitatio.

Occurrit primo Virgilius, qui magistrum habuit Parthenium, ut diximus, Musei doctrinæ imprimis heredem. Ejus autem dicitur adhuc juvenis poematium *Moretum* imitatus vel etiam interpretatus esse; quod vere Alexandrinam officinam redolet. Rerum enim domesticarum minutissima pictura est ; qua quidem materia nulla melior videbatur ad formandum stilum, atque ad efficiendos versus concinniores. His exercitationibus Virgilius suum eloquium perpolivit. Cum enim Eclogas tentavit, jam poeta perfectus erat; e grammaticorum schola artem reportabat omnibus numeris expletam. Ars autem illa eadem est quam in Callimacho deprehendimus. Ex his quæ ad metri scientiam, quæ ad numeros, quæ ad doctam verborum versuumque inter se compositionem attinent, nihil est in Virgilio quod non occupaverit Callimachus, nihil in Callimacho quod non Virgilius usurpaverit. Ceterum Alexandrinorum auctorum cultum Andinus vates semper servavit; semper eos duces sequi vo-

luit. Etenim Theocritum in Eclogis perpetuo imitatus est; in Georgicis multa ab Arato; in Æneide ipsa, quamvis Homerum ante oculos haberet, multa ab Apollonio mutuatus est.

Apud Horatium minus auctoritatis habuerunt Alexandrini; quippe illis omnino aliena sunt genera quæ tractavit. Attamen, si eum attente perpendamus, multas dotes inveniemus, quas in illorum commercio sibi comparavisse non immerito judicari possit. Nonne enim hic labor in seligendis verbis constantissimus, hæc perpetua proprie communia dicendi cura, denique *curiosa* illa *felicitas* toties celebrata, Alexandrinæ arti cognata sunt? Nonne in Callimacho fere eadem artificia notavimus?

Juxta Virgilium et Flaccum floruerunt eo tempore elegorum scriptores. Sed supervacuum est eorum cum Alexandrinis affinitatem ostendere, cum duo ex tribus illis, Ovidius ac Propertius, se ipsos Callimachi discipulos esse fateantur, ejusque carmina frequentissime sint imitati (1). Ovidius autem in ceteris operibus non minus Alexandrinis scriptoribus debuit, quippe qui Metamorphoseon argumentum jam in Nicandro et Parthenio tractatum invenerit.

Liceat igitur dicere Ptolemaicæ ætatis docta studia Latino Parnasso plurimum contulisse. Quid autem

(1) Præter Ibin, totum etiam de Erisichthonis fame locum (*Metam.* VII, 738) mutuatus est Ovidius a Callimacho (*Hym. ad Cer.*, 26).

commodi ex hac quasi accepta hereditate Romani retulerint, nemini non perspicuum est. Per eos enim magistros optimam disciplinam cognovere; per eos cum labore scribere didicerunt; per eos poeticam suam certis legibus subjectam, nec libidini cujusque permissam habuere. Qua causa summam in versificando elegantiam, meo judicio, assequi potuerunt. Quid enim, in ulla humana lingua, omnibus modis perfectius invenire licet quam Virgilii versum? Ea vero constantissima perfectio Alexandrinæ doctrinæ fructus fuit. In Museo dudum præparabantur artificia omnia quæ olim in lucem maximus Romæ vates proferret.

Si quis autem velit plane cognoscere quanta fuerit hujus Græcæ artis utilitas ad fingendam Latinam poesim, conferat inter se Catulli versus et Lucretii. In hoc certe sublimior spiritus et vis ingenii major inerat. Attamen quam sæpe rudis est, quamque incompositus! Nam quodcumque est artificis dextræ opus, videtur sprevisse. Interdum sane vere poeta fuit; nam magni animi liber impetus nonnunquam, juvante Phœbo, artem vel æquare, vel etiam superare potest. Sed magnis intervallis afflare solet divina inspiratio. Cum vero ille sola philosophia nititur, vix metrum in eo agnoscas. In Catullo autem, qui eodem tempore scriptitabat, quæ numerorum elegantia! quæ cura in versu componendo, cædendo, ac per brevium longarumque syllabarum temperamentum scite modulando! Incredibile est quantum illi sequentis ætatis poetæ debue-

rint. Quamnam autem tanto discrimini causam assignabis, nisi quod alter artem Callimachi sibi æmulandam proposuerat, alter autem neglexerat?



CONCLUSIO.

Statim his dictis possum equidem stilum ponere, quia nihil clarius indicat quid de arte Nostri sentiendum sit.

Ejus autem recensitis operibus, perspectaque cum in faciendis versibus summa diligentia, tum in seligendis componendisque verbis elegantia constantissima, collatis vero ad confirmandum hoc judicium fere unanimis veterum testimoniis, agnovimus Callimachum condendi carminis præstantissimum magistrum fuisse non immerito prædicatum. Artificia quidem plane nova nulla invenit; sed ea quæ ab omnibus priorum ætatum poetis usurpata erant recollegit, sciteque disposuit, atque in melius mutavit, ita ut ex diversis multorum auctorum rationibus una atque optima ratio constaret.

Hanc curam ornandæ atque emendandæ poeticæ non unum suscepisse Callimachum monstravimus; sed omnes Alexandrinos fuisse ejus adjutores aut imitatores. Attamen Noster, tum vitæ illustratione, tum varietate scriptorum, primas partes in hac quasi communi provincia sustinuit; ipse novam artem adversus dissidentes defendit, atque ex illa cum Apollonio simultate, omnium celeberrima, superior

tandem discessit; ac visus est paulo post iste versificandi rationem imitatus, quam primo carpserat.

Alexandrinæ igitur artis in Callimacho fons et principium est. Ars ea in Italiam deinde transivit, a grammaticis importata; atque ibi, in ipsa Romanarum litterarum florentissima ætate, maxime culta est. Quæ quidem Nostri præcipua laus esse mihi videtur. Ad poeticam enim Latinam informandam et perpoliendam plurimum adjuvit. Præstantissimi Romani vates vel ipsius discipuli fuere, vel discipulorum ejus; ita ut non solum in Callimacho, sed multo magis in Catullo, in Virgilio, in Ovidio, ut ita dicam, ars Callimachi admiranda esse videatur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. non. octobr. ann. M DCCC LV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J.-Vict. LECLERC.


Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.



INDEX.



LEMOVICI. — E TYPIS FRATRUM CHAPOULAUD.


Gc 2.98
De arte Callimachi poetae.
Widener Library 001875927
3 2044 085 106 581